# FRANC. HOTOMANI IURISCONSULTI COMMENTATIONUM IURIS CIUILIS LIB.22. AD TIT. DIG...

François Hotman

Digitized by Google

FRANC.

# HOTOMANI

IVRISCONSVLTI

COMMENTATIONVM IVris ciuilis lib. XXII. ad tit. Dig. de Vſuris, &c.

*Eiusdem in titul. Cod. & Decretal. de Vſuris commentarius.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPI SCOP.

BIBL. SEC. ROM. SOC. IESV

*BASILEAE,*

PER EVSEBIVM EPISCOPIVM, & Nicolai frat. hæredes.

M. D. LXXVI.

# ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI, AC Domino, Domino LVDOVICO, Landgrauio Haſsiæ, Comiti in Catzeneln-bogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c. Domino ſuo clementiſsimo:

*Franc. Hotomanus Iuriſc.*

S. P. D.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

*NEMINI credo eſſe dubium, Princeps illuſtriſſime, qui modò bene de mēte ſit cōſtitutus, quin nihil in orbe terrarū miſerius, nihil calamitoſius naſceretur, quàm hoc animal, quod Hominē appellamus, niſi Deus illi mentē ac rationē addidiſſet: qua duce ac magiſtra, ſocietatē humanā cū ſui generis mortalib. coleret. Quod uel ex eo cognoſci licet, quia ſimulatq; ab ea ratione paululum deflectere inſtituit, ita nonnunquam ruit, vt nullum hominum generi tantū exitium, quantum ab ipſo comparetur: non à feris beſtijs, nō ab eluuionibus, non ab incēdijs, non à naufragijs, non à terræ motu ac fra-*

*goribus, non à cœli tempeſtatibus ſæuiſſimis tanta pernicies humano generi, quanta ab ipſis hominibus, infertur: cuius rei recens teſtimonium vel noſtra Gallia ſuppeditat. Sed cùm in priuatis hominib. tantũ cuiuſq; mens ac ratio bene inſtituta poteſt, tum verò in genere ipſo ac ciuili hominũ cœtu gubernando, hoc eſt, regnis atq; imperijs & rebuspub. adminiſtrãdis, permultum ea ſumma ratio valet, quæ Lex appellatur, & Iuris atq; iniuriæ regula eſt, rectaq; vitæ degendæ diſciplina, quæ rectè imperandi prohibendiq; ſapiẽtia nititur. Itaq; non imperium, non regnũ, nõ principatus, non ciuitas vlla ſine Lege, non magis quã hæc rerũ uniuerſitas ſine Sole cõſtare poteſt talisq; ſine lege generis humani cæcitas exiſteret, qua le, vt ſummi poetæ verbis vtar,*

per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſyluis, ubi cœlum condidit umbra
Iupiter & rebus nox abſtulit atra colorem.

*Cùm*

*Cùm aũt multorum Legiſlatorum præclara inſtituta fuiſſe conſtat, tum verò eorum Imperatorũ leges præcipuo quodam honore dignantur, qui vetera Populi R. inſtituta emendarunt: atque eorum præſertim, qui illa magna ex parte ad Chriſtianæ Reipub. rationem accommodarunt. vt ſummam meritò ſapientiæ laudẽ tribui videamus illuſtriſsimo Principi Vuilhelmo, fratri tuo, natu ex dignitate maximo: nec minore ueſtræ Celſitudini gloriam, bonorum omnium conſenſu, concedi videamus: qui Parentis ueſtri fortiſsimi Herois exemplum imitati, præter pietatis veræ ſtudium, diſciplinam Iuris in ditionib. veſtris coli retineriq́ voluiſtis. nã hæ ſunt, ſi verè exiſtimare volumus, Pietas, inquam, & Iuſtitia, anchoræ illæ binæ, quibus Thebanus rates ad nauẽ, quæ tempeſtate iactatur, firmandam, vtẽdum exiſtimabat. Hæ ſunt duæ nutrices,*

*quas Poetæ Ioui ſuo artribuerũt, Ida & Adraſtea. Sunt autem in Iure noſtro loci inſignes innumeri, ſapienter cùm à Veteribus Iuriſconſultis, tum ab Imperatoribus Chriſtianis tractati: ſed nullius maiore diligentia explicatus exiſtimatur, quàm is in quo De Vſuris & Fœnore conſtituerunt. Itaq; cùm ſuperioribus menſibus illũ locũ quẽ olim adoleſcens tractaram, multo & ſtudioſius & accuratius explicaſſe viderer, ac iam de ea Commentatione promulganda cogitarẽ, his de cauſsis, ut hunc meorum ſtudiorum fructũ Celſitudini tuæ dicarem, ſum adductus. Primùm, vt quantum Illuſtriſsimæ familiæ veſtræ debeam, & quàm fideli & grata memoria veſtrã erga me beneuolentiã colam ac proſequar, publico aliquo monimẽto teſtarer. Memini enim &, quãdiu viuã, meminero, quoties & quã amãter ſimulatq; mihi ex patriæ incendio euadere licuit: quoties, inquã,*

*& quàm cupidè, liberaliter & honorificè me ad Academiam veſtrã inuitaueritis. deinde tanta fuit Illuſtriſſimi fratris tui Principis Vuilhelmi Mæcenatis mei optimi, ſemper ex eo tẽpore, erga me liberalitas, tantaq́ beneuolẽtia, vt niſi eam, quãdiu viuã, quibus potero modis celebrem, meritò ingratus atq; impius videri poſſim. Præterea, cũ ſedatis (vt ſperare mihi videor) ſæuiſſimis Galliæ tẽpeſtatib. honorificẽtiſſimis bonorũ virorũ decretis, à patria mea reuocer, & ad eas dignitates euocer, quib. ſuſtinẽdis ingenuè me imparẽ agnoſco: nõ prius mihi de diſceſſu cogitãdũ putaui, quàm aliquo munere ex bibliotheca mea deprõpto, & quaſi frugib. ex hortulo meo decerptis, gratũ meũ ergà C. V. animũ oſtẽderẽ: atq; illuſtriſſimæ Celſitudini ac familiæ veſtræ bene ex animo precatus, ditioni ueſtræ ſubiectos beatiſſimos iudicarem, qui talẽ Principẽ nacti eſſent, qualẽ Chry*

*ſantha Xenophõticus optabat, cũ inter bonũ Principem & bonum parentẽ nihil diſcriminis eſſe ſtatueret. Erit igitur clemẽtiæ & benignitatis tuæ, Princeps illuſtriſſime, munuſculum hoc noſtrum boni conſulere: quod certè ſi vel ex ſua, vel ex tãta iſta dignitate veſtra ſpectetur, tenuiſſimum eſſe fateor: at ſi ex meo erga C.V. animo æſtimetur, permagnũ eſſe affirmo: quandoquidè ex tanto ditionis veſtræ clientum ac ſubiectorũ numero, nemini, qui maiore fide, ſtudio, atq; obſeruãtia Illuſtriſſimam familiam veſtram colat, concedo. Vale Illuſtriſſime Princeps, Clementiſſime domine, & Salue. Deum oro, vt illuſtriſſimam C. V. quàm diutiſſimè beatam ac florentem eſſe velit. Kalend. Sextil.*

*M. D. LXXVI.*

FRANC.
# HOTOMANI
IVRISCONS.

## COMMENTARIVS IN LIbrum XXII. Digeſtorum.

### AD TIT. I. *De Vſuris.*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

TITVLVS hic non ex Edicto perpetuo ſumptus eſt, ſed à Triboniano hunc in locum coniectus propter ſuperiorum tractationum affinitatem, in quib. plerunq; de uarijs ad rem principalem acceſsionibus diſputatum eſt. Etſi autem Acceſsionis nomen generale eſt, tamen cùm Rubrica quinquepartita ſit, quinquepartitam quoq; noſtram tractationē eſſe oportebit. De Vſuris, Fructibus, Cauſſa, Acceſsionibus & Mora: de quib. ſingulis eo quem propoſuimus ordine diſſeremus. Ergo Vſura quidem, ſi res ad ueriloquium reuocetur, propriè nihil aliud eſt quàm uſus: uelut apud Tull. Tuſcul. I: Natura dedit uſuram uitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die: quid eſt igitur, quòd querare, ſi repetit cū uult? Sic Verr. V: Quis hoc fecit un-

quam, ut cùm ſenatus publicanos uſura ſæpe iuuiſſet, magiſtratus ac publicanus pecuniam pro uſuris audeat auferre? Poſtea uerò conſuetudine forenſi ſenſim Vſuræ nomen uſurpari cœpit pro eo, quod uſurę cauſſa præſtatur, quaſi quædam illius merces: ſicuti ferè apud Græcos εὐαγγέλιον, pro bono nuntio & boni nuntij præmio uſurpatur. ut non incommodè definiri generaliter Vſura ſic poſsit: Vſura eſt quod propter uſum debitæ pecuniæ creditori prę ſtatur. Dixi, Quodcunque præſtatur, propterea quòd non tantùm in pecunia, uerumetiam in quouis alio incrementi, acceſsionis, & additamenti genere conſiſtere Vſura poteſt: ut paulò pòſt de fœneratione intelligetur. Dixi, Propter uſum debitæ pecuniæ: quoniá etſi propriè uſus pecuniæ non eſt, quippe quæ uſu conſumitur, & aſsidua permutatione quodammodo extinguitur: ut ait §.2. Inſt. de uſufr. potiusq; in abuſu quàm in uſu conſiſtit: l.2. D. de uſufr. ear rer. tamen plerunq; his uerbis abutimur: uelut in l. nec enim, 23. D. de pign. act. adeò, ut Paulus non ſit ueritus dicere, utendam pecuniam dare: hoc eſt, quaſi quodammodo locare, aut commodare: l.2. D. de calumn. cùm tamen pecunia & res eiuſmodi, quæ uſu conſumuntur, neq; in locatum, neq; in commodatū cadant l. 3. §. ult. D. commod. Sed quę ad hanc generis definitionem perti-

pertinent,planius ex partibus,quæ huic generi ſubſunt,intelligentur. Itaq; Vſuræ diuiſio exponenda eſt: quam ego duplicẽ eſſe reperio. Prior eſt huiuſmodi: Vſura alia eſt Compenſatoria,quæ generis ſui nomẽ ſemper retinet: alia Quæſtuoſa, quæ proprio & ſpeciali nomine Fœnus dicitur. Compenſatoria eſt, quæ creditori conceditur ad compenſationem eius, quod ipſius interfuit uſu debitæ ſibi pecuniæ caruiſſe,dum eam debitor retinebat. nam hæc uſura nõ ob lucrum petentium, ſed propter ceſſationem & tarditatem non ſoluentium permittitur: ut ait l.cùm quidam,17. ſ. ſi pupillo. ʃ. h.t. hoc eſt, propter id quod creditoris intereſt,uſu debitæ ſibi pecuniæ caruiſſe: quaſi Vſura nihil aliud ſit,quàm æſtimatio eius quod propter illam ceſſationem & tarditatem intereſt:ueluti cùm pater dotem filię ſuæ conſtituit, neque tamẽ genero matrimonij onera ſuſtinẽti eam ſoluit. nam eius nomine quod generi intereſt,uſu dotis ſuæ caruiſſe, uſuras pręſtat,l. pater,17. D. de dol except. quo æquius dici nihil poteſt:ne ceſſator ex ſua mora lucrũ faciat, & ſuum cõmodũ ex alterius incõmodo cõparet,cõtra l.6. & l.quoties,16.D. de iur.dot. Itẽ cùm is,qui in certã quantitatẽ à iudice cõdemnatus,poſt tẽpus iudicato faciendo pręſtitutũ non ſoluit:quoniã debitam uictori pecuniã retinet,& uerſimiliter uictoris

intereſt uſu ſuæ pecuniæ carere: rei iudicatę uſuras tanquam eius quod intereſt cōpenſationem debet:l.1.& paſs. C.de uſur. rei iud. Item cùm teſtator certá alicui quantitatem legat,& quoad ei ab herede præſtetur, ei in ſingulos annos certá præſtari pecuniam iubet:quaſi uſus quem heres retińet,mercedē. l.3.§.ult.D.de ann.leg. Eiusq; rei præclarum & euidens documentum uidere licet in eo quod conſtitutum eſt, ut emptor poſt traditionem ſibi factam,moram in ſoluendo pretio interponens,eius uſuras præſtet. l.Iulianus,13.§.ex uendito,D.de act.empt.l.curabit, 5.l. fructus,13. C.ill.tit. nimirum tanquam æſtimationē eius quod uenditoris interfuit, emptorē debitæ ſibi pecuniæ uſum eripuiſſe. Ex cōtrario uerò ſi emptori res euicta ſit, ſic ut & fundum & fructus euictori reſtituat, uenditor non modò ei pretium acceptū reddere cogitur,uerumetiam (ut quibuſdā locis dicitur) pretij uſuras: l. euictis, 18.D. de uſur. ut alijs locis dicitur, pretium & id quod intereſt.l.euictis,70.l.ſi in uenditione,60. D.de euict. quaſi Vſura nihil aliud ſit,quàm æſtimatio eius quod intereſt. Qua de cauſſa, Vlpianus eandem quæſtionem tractans in l.illud ſciendum,29.§.1.D.de ædil.ed. An & uſuras,inquit,pretij cōſequetur, quaſi,quòd ſua interſit,debeat accipere? Eodemq; pertinet, quòd illa pretij uſura, quam emptor pręſtat, condu-

conductionis mercedi æquiparatur. nã cùm emptor tantiſper prędium emptum conducit, dum pretium ſoluat: mercedem uſurarũ loco præſtari ab eo intelligitur: l. ſicut, 20. & l. ſeq. D. locat. Similiter in l. ſociũ, 60. D. pro ſoc. Socius qui in lucro reddendo morã adhibuit, uſuras præſtare dicitur: ſed non quaſi uſuras (id eſt quaſi fœnus, ſiue quaſi lucrum) ſed quòd ſocij interſit moram eum nõ adhibuiſſe. Sed quæ inter id, quod Intereſt & Vſuram compenſatoriam communia, quęque diſcrepantia ſint, conſiderandum eſt. nam ſicuti quod Intereſt ex damno per aduerſarij culpã illato, uel utilitate interuerſa æſtimatur: l. ſi commiſſa, 3. D. rem. rat. hab. ita Vſura compenſatoria in bonæ fidei iudicijs ob damnum illatum, aut interuerſam utilitatẽ in condemnationem uenit: & ſi nullam utilitatem amiſſam conſtet, nõ applicatur, etiamſi ſtipulatione & chirographo promiſſa ſit. l. pater, 17. D. de dol. except. l. creditor, 60. §. ſi inter, D. mand Sicut Vſura, ita etiam id quod Intereſt, tantũ in pecunia numerata præſtatur. l. ſi quis ab alio, 13. §. ult. D. de re iudic. l. ſtipulationes nõ diuiduntur, 72. D. de uerb. oblig. Sicut id quod Intereſt iudicis officio æſtimatur: l. 3. C. de inut. ſtip. ſic Vſura cõpenſatoria per iudicem æſtimari, taxari ac definiri ſolet. l. cùm ſeruus, 39. §. 1. D. de legat. 1. l. 7. D. de neg. geſt. qua de cauſſa æſtimatio uſu-

rarum dicitur à Papiniano in l. 3. §. ult. D. h. t. Summè autem illa communio notanda eſt, quòd Vſura æquiparatur ei quod uerè proprieq; intereſt: hoc eſt, quòd in re tantùm & circa rem, non autẽ extra rem uerſatur. Nam ſicuti uenditor moram in tradendo committens, in præſtando eo quod emptoris intereſt, utilitatem tantùm, quæ circa rem nõ extra rem eſt, reſtituit: ueluti ſi quid emptor negotiando lucri facere potuiſſet: l. ſi ſterilis, 21. §. cùm per uenditorem, & l. Titius, 43 D. de act. empt. eodem modo emptor moram in pretio ſoluendo committens, ac propterea id, quod uenditoris intereſt debens, uſuras tantùm pretij, non lucrum, quod uenditor negotiando facere potuiſſet, præſtabit. l. ult. D. de peric. & commod. quod ſimiliter conſtitutum eſt in tutore, qui merces, quas cum defuncto communes habuit, uenditas ſibiq; redemptas ſolus exercet. neque enim partem ſui quæſtus, ſed pecuniæ tantùm uſuras pupillo præſtat. l. Titium, 47. §. pen. D. de admin. tut. Idemq; præterea in legata pecunia obſeruatur, quã legatarius ex die certa reſtituere iuſſus eſt. nam uſuras tantùm, non etiam lucra, quæ interea negotiando percepit, prẹſtat: l. imperator, 70. §. 1. D. de. leg. 2. Quartò, quibus caſibus legitimus uſurarum modus non ſeruatur, ut in traiectitia pecunia: ijs caſibus etiã id, quod ẹxtra rem intereſt,

intereſt,prę̨ſtatur,l.2.§.ult.D.de eo quod cer. loc. Quintò, inter Vſuram hanc, & id quod Intereſt,hoc cõmune eſt, quod ut illius modus pacto contrahentiũ definiri poteſt,dum tamen intra legitimum uſurarum modũ definiatur l.Iulianus,13.§.ibidem Papin. D. de act.empt. ſimiliter id quod Intereſt, ſtipulatione definiri poteſt, quæ Pœna nominatur. l.ult.D.de pręt.ſtipul.§.ult. Inſt.de uerb.obl. Differentia uerò inter id quod Intereſt & Vſuram hæc eſt,quòd illud & in quamuis obligationem cadat,ſiue dandi,ſiue faciendi,& quarumuis rerum nomine pręſtatur,ſiue incorporalium,atque adeò ipſius pecuniæ,l.3 D. de eo quod. cert.loc. Vſura uerò tantùm in obligationibus dandi locum habet, & earum tantùm rerùm nomine præſtatur, quæ quantitate cõſtant. Itaq; cùm in alijs rebus ob moram condemnatio fiat in id quod intereſt:in pecunia condemnatio fit in uſuras: l.3.§.ult.D.h.t. Illud in facto,non in iure conſiſtit. qua de cauſſa nullus illius modus iure definitus eſt,l.quatenus,24. D.de reg.iur. at uſurarũ modus ſemper antiquis legib. definitus fuit:cuius excedendi poteſtas iudici permiſſa nõ eſt,l.1.& ſim.D.h.t.Porrò Fœnus eſt lucrũ,quod propter cauſsã Mutui certis temporib.exigitur. Dixi Lucrũ:quoniã fœnus lucri tantũ,& quæſtus ex mutuo faciendi cauſſa inſtitutũ eſt, quaſi pecunię uſus locaretur:

non autem ob id quod creditoris intereſt compenſandum, neq; ad debitoris moram puniendã. nam etiam ſine mora ex ipſo con uentionis die debetur. l.ſi ita quis, 195. D. de uerb. oblig. quinetiam nonnunquam repræſentatur, atq; ipſo cõtrahendi mutui tempore prærogatur: uelut in l.4.§.ult.l. qui in futurum, 57.D. de pact.l. qui Romæ, 122.D. de uer. obl.l.2.§.non malè.D.de dol.except. l.ſi uſuras, 21.C.de uſur. Generale autem Lucri nomen uſurpaui: quoniã omne utilitatis, compendij aut commodi genus quod præter ſortem accipitur, Fœnus appellatur, nonmodò ſi in pecunia numerata; uerumetiam ſi in oleo, uino, frumento, atq; adeò in habitatione domus conſiſtat.l.oleo, 23. l.cùm non frumentum, 16. l.ſi ea pactione, 14. l. ſi ea lege, 17. C.h.t. Sed cùm eiuſdem generis fœnus eſt cuius eſt ipſa ſors; ueluti cùm pro nummis nummi, pro uino uinum maiore numero & menſura ſoluitur: hoc propriè incremẽtum appellatur, ut in l. Lucius, 24. D. depoſ.l.9.D. de alim.leg. l. 2. §.2. D. de adm.rer.ad ciu. Generali autẽ nomine quidquid præter ſortem exigitur, Acceſsio appellatur: l. frumenti, 12. C.h.t. Dixi, Propter mutuum: quoniam nulla alia niſi mutui & creditæ pecuniæ cauſſa fœnus exigitur: non tamen ex natura uel pacto mutui, ſed ex noua obligatione, id eſt ſubiectæ ſtipulationis: ut poſterius docebimus.

mus. Dixi,Certis temporibus; quæ antiquitùs regulariter erant menſtrua. nam fœnus ſtipulabatur Kalendis dari,l. tutor,41.§.ult.ſ. h.t.ſed ſolutio in diem Iduum differebatur. l.ex pluribus,89.§.ult.D.de ſolut. Vnde illud Horatij: Omnem relegit Idibus pecuniam, Quærit Kalendis ponere. Cic.Catil. 1: Prætermitto ruinas fortunarũ tuarum, quas impendere tibi proximis Idibus ſenties. Neq; obſtat quod in l.omnes,18.C.Th.de luſt.collat.Fœnus interpretatur, creſcẽtis in dies ſingulos pecuniæ acceſsio. quoniam ſingulis quidem diebus augeſcit pecunia: ſed Idibus tantùm debebatur.deniq;pro rata menſtruę penſionis quotidie ſenſim excreſcit,ut apud Ariſtoph. Τοῦτο δ᾽ ἐστὶ ὁ τόκος τί θήριον; ΔΑ. τί δ᾽ ἄλλο γ᾽ ἢ κατὰ μῆνα καὶ καθ᾽ ἡμέραν πλέον ὑπορρέοντος τοῦ χρόνου. Et hac de cauſſa uidemus, Vſuram,quę quotannis tantũ præſtatur, in libris noſtris dici quaſi uſuram:uelut in l.3.§.ult.D.de ann. leg. Propriè autem Reditum quaſi prædij alicuius: l.alũnæ,30.D. de alim.leg. l.qui quadringenta,88. §. qui ducenta. D. ad leg. Falc. Porrò ex his definitionib. prima & ſumma inter Vſuram & Fœnus differẽtia notari poteſt:quòd illa reſpectu creditoris ad id quod intereſt, compenſandum hoc lucri tantùm & quæſtus cauſa inſtitutum eſt. Illa in pœnam morę à debitore poſt interpellationem commiſſę infligitur.l.cùm quidam,17.§.ſi pupillo.

pillo. ſ.h.t. l. pater, 17. D. de dol. except. hoc etiã ſine interpellatione & mora ex ipſo die commiſſæ ſtipulationis debetur: l. pecuniæ, 9. §. 1. l. cùm quidam, 17. D.h.t. Interdum tamen quaſi in pœnam moræ fœnus ſtipulabatur, ac tum Pœna dicebatur: uelut in l. cũ ſtipulati, 90. l. ſi ita ſtipulatus, 126. §. Chryſogonus. D. de uerb. oblig. l. lecta, 40. D. ſi cer. pet. Tertia differẽtia eſt, quòd Vſura ex nudo pacto peti poteſt: Fœnus regulariter non niſi ex ſtipulatu. l. Lucius, 24. D. de præſc. uerb. Quarta eſt, quòd illius natura erat, ut nõ niſi ex bonæ fidei contractib. deberetur: ſed propter æquitatẽ etiam ad quædam ſtricti iuris iudicia producta eſt: ueluti ad actionẽ ex teſtamento, l. uſuræ, 34. D.h.t. hoc uerò ex uno tantùm mutui contractu, uel potius ſtipulatione mutuo ſubiuncta debetur. His expoſitis, deinceps ad ſeparatam Compenſatoriæ uſuræ tractationem accedamus: quę inſtituto noſtro tripartita erit. Primũ enim de Perſonis, tum de Rebus, poſtremò de iure Compenſatoriæ uſuræ differemus. Ergo quantũ ad perſonas attinet, illa regula tenenda eſt: Nullam eſſe perſonam, cui non deberi, aut à qua nõ exigi Compenſatoria uſura poſsit, præterquã à fiſco: l. cùm quidam, 17. §. fiſcus. ſ.h.t. niſi in priuati locum ſucceſſerit. l. 2. C. de fiſc. uſur. l. 6. ſ.h. t. Earum autem demũ rerum nomine Vſuræ præſtantur, quæ quantitate

con-

conſtare dicuntur, & paſsim corporib. oppo nuntur: uelut in l. ſi is cui nummos, 94. D. de ſolut. l. 1. ſ. nõ ſolũ. D. ad leg. Falc. Nam quod in corporeis reb. Fructus appellatur: id in pecunia Vſura dicitur: l. ſi nauis, 62. D. de rei uin. l. item ueniunt, 20. ſ. cæterùm. D. de her. pet. quapropter Vſuræ uicem fructuum obtinere dicuntur, l. uſuræ, 34. ϡ. h. t. Itaq; cùm in legatis aureis argenteisúe uaſis præſtãdis moram heres feciſſet, & quæreretur, an uſuras deberet? Papin. reſpondit: Si uaſa ita legata eſſent, ut uenderentur, & pecunia ſolueretur, uſuras deberi: ſin ad uſum tantùm, & tanquam corpora legata eſſent, non deberi. l. 3. §. ult. ϡ. h. t. eodemque pertinet, l. deducta, 58. §. cùm autem. D. ad Treb. l. eum qui, 18. D. de his quæ ut ind. & l. patronus, 35. D. de leg. 3. Sed operæpretium eſt, quænam inter Fructum & Vſuram communia, quæque item diſcrepantia ſit, cognoſcere. Ergo cùm & fructus & uſura rei principalis accesſio ſit, utrumque incrementum appellatur, l. 1. ſ. belliſsimè. D. ut leg. nom. Quibus ex cauſis Fructus ob moram debentur, etiam uſuræ debentur, uelut in bonæ fidei iudicijs: itemq; in legatis & fideicommiſsis: l. 3. ſ. 2. & l. uſuræ, 34. D. h. t. at in ſtrictis iudicijs neque ante neque poſt moram fructus uel uſuræ debentur, l. uideamus, 38. ſ. ſi actionem, D. h. t. l. 3. C. eodem. In legatis autem

& fi-

& fideicommiſsis poſt litem conteſtatá,tum
uſuræ tum fructus etiam ab herede deben-
tur,l.ult.C.de uſur.& fruct.leg. Diſsimilia ue
rò hæc ferè notauimus. Vſurę ex ijs ſolis re-
bus percipiuntur, quæ quantitate conſtant,
ut ſuprà dictum eſt.Fructus ex cæteris rebus
omnib.etiam incorporalibus: itaq; quod in
cæteris rebus Fructus, id in pecunia Vſura
dicitur.l.1.& paſs.C.de uſur.& fruct.leg.l.itẽ
ueniunt,20.§.cæterùm. in fi. D. de her. pet. l.
poſtulante,44.§.pen.D.ad Treb.l.3.§.2.l.eui-
ctis,18.l.ſeq.D.h.t. Secundò,Fructus propriè
uereq; dicũtur,qui naturaliter aut ex corpo-
re rei,puta procreatione,aut per cauſsá cor-
poris,puta uehendo aut geſtádo percipitur:
at Vſura tantùm ex negotiatione & contra-
henda obligatione percipitur.l. ſi nauis, 62.
D.de rei uind. Tertiò, Fructus in uicem uſu-
rarum cedunt, at non Vſuræ in uicem fru-
ctuum.nam fructus fundi ab eo percepti,cui
uſuræ certæ pecuniæ debebantur, ei in uſu-
ras imputantur. l. cùm non frumentum, 16.
& l.ſeq.C.h.t.l. ſi is qui,11. §.1. D.de pignor.l.
5.§.quæri.D. ut in poſſ.leg. Quartò, Fructuũ
modus,qui in iudicium deducitur, indefini-
tus eſt. neq; enim perceptorum tantùm ra-
tio habetur, uerum etiam eorum qui percipi
potuerunt:at Vſurarum modus iure ciuili &
regionis more ſemper definitus fuit.l.1.cum
ſimil.D.h.t.quanquam ubi Fructus in uicem
Vſura-

Vſurarum percipiuntur, ad legitimũ earum modum, eorum quantitas reuocatur, l. 8. D. in quib. cauſs. pig. Quintò, Vſuræ unius anni multæ & uariæ ſunt: quippe cũ ſint menſtruę, ut ſuprà diximus. at Fructus totius anni unus eſt, l. 8. D. ſol. mat. Sextò, in bonæ fidei iudicijs fructus omnino præſtantur, ſiue mora facta ſit, ſiue non: l. uideamus, 38. §. pen. D. h. t. at Vſuræ non niſi ex mora debentur. l. mora. 32. §. in bonæ, D. h. t. Septimò, qui rem alterius locabilem quam poſsidet nõ locat & exercet, eius tamen fructus præſtat. qui uerò pecuniam alterius nõ exercet, uſuram non præſtat; quoniam illius periculum non præſtat, huius uerò præſtat, l. ſi nauis, 62. D. de rei uind. Sequitur, ut de iure uideamus, cuius diſputationis hoc quaſi fundamentũ iaciendum eſt. Cùm Vſura compenſatoria non infligatur niſi propter morã, id eſt propter id quod creditoris intereſt, uſum debitę ſibi pecunię à debitore ſibi ereptũ eſſe: l. cùm quidam, 17. §. ex pupillo. ƒ. h. t. duplici ratione inſtituta eſt: debitoris reſpectu, in pœnã moræ & ceſſationis: creditoris uerò reſpectu, ad eius quod intereſt compenſationem; ne debitor ex alterius incommodo ſuum compararet commodum, contra l. itaq;, 28. & alias ſimiles, D. de dol. mal. Itaq; reſpectu debitoris, cùm moræ coercendę cauſſa inſtituta ſit: uerèq; proprieque Pœna eſt: reſpectu uerò

cre-

creditoris, Id quod intereſt. Hoc poſito fundamento, ſequitur, ut tripartitam eſſe huius iuris tractationem oſtendamus. Nam cùm Vſura compenſatoria nunquam niſi ob moram infligatur, tamen interdũ ex lege deberi dicitur: interdum ex pacto: interdum ſolo iudicis officio applicatur. Ex lege deberi dicitur, quę iure ſcripto debitori in ceſſationis pœná infligitur: creditori uerò ad eius, quod ſua intereſt, compenſationẽ attribuitur: cuiuſmodi eſt Vſura rei iudicatæ. nam is qui in certá pecuniam condemnatus eſt, ſi poſt iuſtos iudicati faciendi dies ſoluere ceſſat, quãuis interpellatus non fuerit, tamen ipſo iure uſuras debet, niſi fortè prouocarit, tum enim poſt diem demum confirmatæ prioris ſententiæ uſuras debet: l. 1. & l. 2. C. de uſur. rei iud. Ac eius quidem temporis, quod iudicato faciendo præſtitutum eſt, uſuræ non debẽtur: l. 3. §. 1. ĩ. h. t. l. ult. C. de uſu. rei iud. ſed eius quod inter priorem & poſteriorem ſententiam fluxit, ita demum uſuræ debentur, ſi modò fruſtratoria morandi cauſſa appellatio interpoſita eſt: l. tutor, 41. D. h. t. Sin bona fide interpoſita eſt, non debẽtur: niſi fortè ab eo, qui priore ſententia etiam in uſuras condemnatus fuerat, l. ult. C. de re iud. l. negotiorum, 24. D. de appel. l. in bonę, 13. C. h. t. Ex pacto uſuræ debentur in omnib. bonæ fidei contractibus; ueluti in emptione & uen-

ditione,

ditione, cùm in ipſo contractu conuenit, ut pretij tardius ſoluti uſuras emptor præſtet, l. 3.C.h.t.l.5.C.de pact.int.empt.l.5.de act.emp. Item in depoſito: cùm ita deponitur pecunia, ut tantundem reddatur, & conuenit, ut eius pecuniæ uſuræ præſtentur: l.Lucius, 24. l. Publia, 26. §. 1. D. depoſ. Iudicis autem officio deberi uſuræ dicũtur, quarum æſtimatio, id eſt, nõ modò applicatio, uerumetiam taxatio iudicis, tanquam boni uiri arbitrio permittitur: l. 1. l. 3. §. ult. D.h.t. quod in omnibus bonæ fidei iudicijs locum habet, in quibus iudex tanquam uir bonus, & ęquus litigatorum iuris æſtimator conſtituitur: ut tantundem in ijs eius arbitrium poſsit, quantum in ſtrictis, ſtipulatio. d. l. Lucius. D. depoſ. l. quæro, 54. D. loc. l. 6. in fi. & l. 7. D. de neg. geſt. Nam in eius arbitrio eſt, primùm, utrum uſuras infligat, an non: deinde, ad quem modum infligat: adeò, ut ſi nullam earum in ferenda ſententia mentionem fecerit, amplius eas petere non liceat, niſi ab eius ſententia prouocatio interponatur: l. 4. C. depoſ. l. in bonæ, 13. C.h.t. Quinetiam quãuis ſors poſt moram ſoluta ſit, tamen eius uſuræ peti iudicio non poſſunt: quippe, quæ non ſint in obligatione, ſed officio iudicis præſtentur: l. qui per colluſionem, 49. §. 1. D. de act. empt. unde illa uulgaris Vſurarum differentia, ut aliæ in obligatione, aliæ

in offi-

in officio iudicis eſſe dicantur. l.quęro,54.D. locat. l. deducta. D. ad Trebell. non enim quidquid iudicis poteſtati permittitur,utiq; iuris neceſsitati ſubijcitur, l. non quidquid, 40.D.de iudic.qua de cauſſa ſuperiorib.duobus caſibus uerè proprieq; deberi uſuræ dicuntur: at quæ officio iudicis permittuntur, impropriè deberi dicuntur: ut in l. mora, 32. §.in bonæ. D.h.t.d.l.quæro.D. loc. Porrò ad ſimilitudinem iudiciorum bonæ fidei inſtitutum eſt,ut etiam in legatis & fideicommiſſis uſuræ ex mora deberentur. l. uſuræ,34. §. h.t.l.3.C.in quib. cauſs. reſt. l.1. §. belliſsimè, D.ut leg. nom. cau. l.1.l.2. C. de uſur.legat.l.ſi cui legatum,43.in fi. D.de cond.& dem. quæ argumento eſt, ius iſtud Impp. cõſtitutionibus introductum fuiſſe, & confirmatur ex l. uxori,24. D.de uſuf.leg.quinetiam eodẽ conſtitutionum iure inductum eſt, ut in gratiam & fauorem minorum,uſura pecunię ipſis legatæ etiam ſine mora & interpellatione re ipſa,& ex ſolo tempore tardę pręſtationis ijs debeatur. l.3.C.in quib.cauſ.reſt.l.TitiaSeio, 87.§.uſuras, D. de legat. 2. Porrò in bonæ fidei iudicijs ad uſurarum condemnationem plurimum intereſt, utrum ſuam pecuniam debitor retinuerit, an alienam. Et rurſus ſi ſuam pecuniam, ſed alteri debitam retinuit, magnam uideo eſſe quæſtionem, utrum ob eam cauſſam uſuræ ex mora in perſonam,

an

an ex mora in rem facta infligantur. Mora in perſonam eſt, cùm debitor teſtato interpellatus eſt. In rem uerò, cũ ſine interpellatione creditoris ipſo iure tacitè in mora conſtituitur. Ne longum faciam, & inſignem Triboniani ſocordiã patefaciam, ita ſtatuo: Magnam in libris noſtris eius iuris uarietatem & repugnantiam reperiri: uehementerq́; ueteres tum Iuriſconſultos, tum Imperatores de hac quæſtione inter ſe diſſenſiſſe. Nam Vlpianus apertè affirmat, emptorem ſtatim poſt rem traditam, etiam ſine mora, id eſt interpellatione, re ipſa, & ex ſolo tempore tardæ pretij ſolutionis uſuras debere. Et æquiſſimam rationẽ affert: quoniam cùm fructus perceperit, conſentaneum eſt, eum pretij uſuras debere: quaſi fructuum perceptio tacita interpellatio ſit. l. Iulianus, 13. §. ex uendito. D. de act. empt. quam æquitatem Diocletianus allegat in l. 5. C. il. tit. Contrà uerò Paulus, Vlpiani æmulus, apertè ſcribit, conductorem qui fructus percepit, tamẽ per actionem ex locato uſuras non niſi ex mora, id eſt, poſt interpellationem debere. d. l. cùm quidam. ꝟ. ex locato. ꝭ. h. t. cui conſentit Diocletianus in l. præſes, 17. C. de loc. & cond. & Paulus in l. quæro, 54. D. eod. Atq; idem de emptore Hermogenianus ſcribit in l. ult. D. de peric. & commod. itemq́; Diocletianus, toties ſibi ipſi contrarius, in l. 3. C. in quibus

B cauſſ.

cauſſ.reſtitut. & rurſus in l. fructus, 13. C. de act.empt. itemq; Gordianus in l. initio, 5. C. de pact.int.empt. Quod ſi mei iudicij res eſſet, Vlpiani certè ſententiam amplecterer: eò magis, quia idem quoq; Vlp. qui tutori uſuras pecuniæ ſuæ in pupilli negotia inſumptæ attribuit, etiam ſine mora illas eidem attribuit: l.3.§.uſuras.D.de cont.tut.act. Sequitur, ut de aliena pecunia uideamus, de qua ita definiri poſſe arbitror: In bonę fidei iudicijs, ſi debitor alienam pecuniam ſuos in uſus cõuertit, uſuras etiam ſine mora præſtare cogitur: ueluti in actione mandati. nam ſi mandatarius pecuniam domini, atq; adeò etiam uſuras ipſi debitas ſuos in uſus conuerterit, uſuras utriuſq; ſummæ etiam ſine mora præſtabit: l.idemq;, 10. §.ſi procurator. & præſertim in l. ſi uerò, 12. §. ſi mihi.D.mand. Vbi Pomponius ait, uſuras non tantùm ex mora eſſe admittendas, ſed earum rationem iudicis arbitrio ex æquo & bono permitti: quod idem de negotiorum geſtorũ iudicio ſtatuitur in l.ſi mater, 24. C. h.t.l. 6. in fi. & l. ſeq. & l.qui ſine, 38.D.de neg.geſt. Similiter cùm depoſitarius pecunia penes ſe depoſita utitur, etiam ſine ulla interpellatione uſuras debet.l.3.& l.4.C. depoſ. Sic creditor pignore pluris, quàm quantũ debebatur, uendito, ſi ea pecunia uſus ſit, eius uſuras debet: l.6.§.ult. D. de pign. act. idque ex mora in re,

in re, ſine interpellatione, ſtatim poſt diem ſolutionis, l. in eum diem, 40. D. h. t. Sic cùm ſocius communem pecuniam in uſus ſuos conuertit, Papinianus etiam mora nō interueniente deberi uſuras ſcribit: l. 4. §. 1. ꝟ. h. t. à quo tamen uidetur diſſentire Labeo in l. ſeruum, 60. D. pro ſoc. ubi apertè ſcribit utrūq; requiri: ut ſocius & moram fecerit, nimirum interpellatus, & pecunia uſus ſit. quòd ſi alterutrum deficiat, uſuras non debiturum. At tutor ſingulari pupillorum priuilegio uſuras debet, non modò ſi pecuniam pupilli ſuos in uſus cōuerterit, uerumetiam ſi eam otioſam reliquerit, l. 1. §. ult. ꝟ. h. t. l. 1. C. de uſur. pupil. l. 3. C. arb. tut. aut etiam poſt officium finitum. l. 7. §. ult. l. Lucius, 46. §. quæſitum, D. de admin. tut. Sicuti autem propter uſum alienæ pecuniæ uſura debetur: ita deſinente uſu, deberi deſinit, ſi modò teſtato pecunia creditori offeratur, ſimulque deponatur. neque enim alterutrum ſufficit: l. 1. in fi. ꝟ. h. t. l. 2. C. eod. Proximum eſt, ut de modo harum uſurarum uideamus. Olim ergo, ſiquidem inter partes de ea re ab initio contractus conuenerat, lex contractus ſeruanda erat, idque uſque ad centeſimam: qui licitus uſuræ modus appellatur, ut poſterius intelligetur: ſi nihil nominatim conueniſſet, tum officio iudicis, ex more regionis, ubi contractum fuerat, modus definiebatur:

l.1.in prin.j.h.t.l.idemq; , 10. §. ſi procurator. D.mand. l.cũ ſeruus,39,§.1.D.de legat.1. Sed Iuſtinianus generaliter & uniuerſè huic generi uſurarum, quæ citra ſtipulationem exigũtur,ſemiſſem præſtituit,l.eos qui,16.§.cæteros.C.h.t. Atq; hæc quidem de uſura Cõpenſatoria hactenus dicta ſint: deinceps de Fœneratione uideamus. Nam etſi fœnus pro fœneratione uulgò uſurpatur, tamẽ perſpicuitatis cauſſa, fœnus pro penſione ipſa, fœnerationem autem pro conuentione nominabimus. Ergo Fœneratio eſt ſtipulatio lucri alicuius, certis temporib. propter mutui cauſſam præſtandi. Dixi, Stipulatio: quoniam regulariter Fœneratio nõ ex pacto incontinenti appoſito, non ex mora, non iudicis officio, ſed tantùm ex ſtipulatione debetur: l.Titius, 24. D. de præſc. uerb. l.3. C. h.t. Excipiuntur tamen pecuniæ reipubl. quarũ uſuras ex pacto nudo deberi conuenit, l.etiam,30.D.h.t. item menſæ argentariæ, Nouell.136. & earum rerum quæ menſura conſtant, ueluti olei, frumenti, uini. l. frumenti, 12. C. h. t. Excipitur præterea traiectitia pecunia, de qua tit. ſequenti tractandum erit. Dixi,Lucri alicuius: primùm, quoniam fœnus nulla alia,niſi lucri (ut ſuperius copioſè dictum eſt) & quæſtus cauſſa inſtitutum eſt, ut apud Cic. de Of.2. Pecuniæ non quærendæ ſolùm ratio eſt,uerumetiam collocandę,

quæ

quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet. Deinde generale nomen ideo uſurpaui, quoniam omnia emolumenti genera fœnoris nomen continet, ut ſuprà dictum eſt. Itaq: cum his omnibus emolumenti generib. opponitur id, quod gratuitũ eſt: l. qui ſine, 38. D. de neg. geſt. Iccirco pecunia gratuita, fœnebri ſiue uſurariæ opponi ſolet. l. idemq;, 10. §. ſi mandauero. D. mand. l. cùm alter, 11. & l. ſeq. D. de compenſ. l. cùm debitor. 8. D. in quib. cauſſ. pig. tac. contr. Dixi, Propter mutui cauſſam: ut intelligamus, aliud eſſe mutuum, aliud fœnerationem. nam mutuo fœneratio ſubiungitur. Mutuum enim eſt conuentio, quæ re contrahitur, & eatenus tantùm obligat, quatenus res data eſt: l. ſi tibi, 17. §. 1. D. de pact. l. 1. l. 2. l. rogaſti, 11. §. 1. D. ſi cert. pet. at Fœneratio contrahitur uerbis & ſtipulatione. l. 1. l. 3. C. h. t. Itaq; Mutuum eſt contractus iuriſgentium, qui naturalis appellatur in l. ſi ita ſtipulatus, 126. §. Chryſogonus. D. de uerb. obl. Fœneratio, iuris ciuilis: quippe, ut diximus, ſtipulatio. l. quoties, 14. in fi. D. de nouat. Ex pecuniæ numeratione actio mutui naſcitur: at ex illa fœnoris petitio non naſcitur, ſed ex noua obligatione, inquit Pomponius: id eſt, ſubiecta ſtipulatione. l. uſura, 121. D. de uerb. ſig. Vterq; autem contractus nominatus eſt. nam de Fœneratione certũ caput in xij. tab. fuiſſe Tacitus lib. 5. teſtatur. Similiterq; aliud



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſt Credere, aliud Fœnerari: ut apparet ex l. grauius, 71. §. ul. D. de fideiuſ. ubi agitur de eo, cui mandatum erat, ut crederet pecuniá Titio, quam illi fœnerarat: id eſt, nō ſolùm crediderat, uerumetiá aliquá inſuper acceſsionē ſtipulatus erat. Creditum igitur ſiue Mutuum gratuitum eſt: Fœneratio quæſtuoſa. Vnde Mutuam pecuniá dare, & Fœnerationem exercere, diſtinguūtur in l. præſidis, 34. §. ſi cert. pet. Plaut. Aſinar. Nam ſi mutuo nō potero, certum eſt, ſumam fœnore. Et hac de cauſſa, cùm alia ſit Crediti, alia Fœnoris obligatio, licet uno iudicio ſortē, altero fœnus petere. neq; unius petitio alteri præiudicat. l. ſi in iudicio, 23. D. de except. rei iud. l. cùm ſtipulati, 90. D. de uerb. obl. l. 1. C. de iud. quinetiam ſtipulatio ſortis certa eſt; uſurarum, incerta. l. centum, 8. D. de eo quod cert. loc. l. ubi autem, 75. §. pen. D. de uerb. oblig. quapropter altera certi, altera incerti cōdictione petenda eſt. Nunc diuiſio uidenda eſt. Nam Fœnerationis duas ſpecies animaduerto: unā, per quam de lucro & quæſtu ex die numerationis cōuenit, quod propriè Fœnus dicitur, adeò ut etiam futuri temporis repræſentetur: quemadmodum s. dictum eſt. alteram, per quam lucrum illud nō apertè tanquam quæſtus exigitur, ſed compenſationis quodam colore & prætextu tegitur, quaſi in pœnam admiſſæ moræ ac ceſſationis: ueluti, cùm

cùm creditor Kalend. Ianuar. ita ſtipulatur: Spondes, te centum mutua Kalen. Februar. ſoluturum: & ni ea die ſolueris, quoad pòſt ſoluas, in ſingulas Kalendas unum ſoluturum? cuius conuentionis paſsim exempla exſtant, ubi Fœnus hoc idcirco Pœna nominatur: uelut in l. lecta, 40. D. ſi cert. pet. l. cum ſtipulati, 90. l. ſi ita ſtipulatus, 126. §. Chryſogonus. D. de uer. obl. l. Titius, 24. D. de conſt. pec. l. pignorib. 22. C. h. t. atq; idcirco hæc Pœna uſuræ nominatur in l. cũ allegas, 15. C. h. t. Fuit & alterum Pœnæ, ut ita dicam, uſurariæ genus: cùm quis minores uſuras ſtipulatus, ni eæ ſua die ſoluerentur, maiores pœnę nomine ſtipulabatur: ut nominatim dicitur in l. Caius Seius, 11. & l. ſeq. in fi. D. h. t. & l. 1. §. pacto, D. de pign. l. 4. & l. quamuis, 8. C. h. t. Sed hoc loco intelligendũ eſt, inter Fœnus & Pœnam propriè ac ſtrictè ſumptã quatuor eſſe differentias: quarũ prima & ſumma hęc eſt, quòd Fœnus regulariter, nõ ꝓpter id, quod aut uerè aut uerìſimiliter intereſt, ſed apertè propter lucrũ exigitur. At Pœna nihil aliud eſt, quàm id quod uerìſimiliter intereſt, partium conuentione finitũ ac circumſcriptũ: l. ult. de ſtip. pręt. l. ſtipulatio iſta, 38. D. de uerb. obl. qua de cauſſa, cũ pœna in bonę fidei contractũ deducta eſt, ſi per eius cõtractus actionem totũ id quod intereſt, exactũ fuit, pœna, etiãſi in ſtipulatũ deducta ſit, tamẽ nõ exigi-

tur: qui enim totum, etiam partem adeptus eſt: at ſi ex ſtipulatu actum, & pœna ſola exacta eſt, in id quod pluris intererit, ex cōtractu actio competit, l. prædia, 28. l. Lucius, 47. D. de act. empt. quibus coniungendæ ſunt l. ſi de fundo, 15. C. locat. & l. ſi quis à ſocio, 41. & l. ſeq. D. pro ſoc. Neq; obſtat quod dici ſolet, Pœnę ſtipulationem committi, quamuis nihil interſit: l. ſtipulatio iſta, 38. §. alteri. D. de uerb. oblig. l. pen. D. ſi quis caution. quoniam etſi paucis quibuſdam & raris caſibus nihil interſit, tamen plerunque & regulariter intereſt: atq; adeò ſemper intereſſe præſumitur. Sed quoniam difficilis eſt probatio eius quod intereſt, cùm in facto conſiſtat: l. quatenus, 34. D. reg. iur. inſtitutū eſt, præcauendarum ambiguitatū cauſſa, ut certa ſumma eius, quod uериſimiliter intereſſet, nomine in ſtipulatum deducta, non amplius quæreretur, quantū aut utrum intereſſet, nec ne: ſed an pœna commiſſa eſſet. §. alteri. Inſtit. inut. ſtipul. §. ult. de uerb. oblig. quæ omnia de Pœna (ut dixi) uerè proprieq; ſumpta, non autē de pœna uſuraria intelligenda ſunt. Secunda differentia eſt, quòd Fœnoris ſiue Vſuræ penſiones multæ & uariæ ſunt, & ſingulis menſibus præſtantur. Pœnæ uerò unica & ſingularis, & ſemel fungitur. Tertia eſt, quòd præter fœnus ſtipulari pœna nō poteſt: l. pecuniæ, 9. §. 1. l. cùm quidam, 17. D. h. t. quia repugnant

pugnant pecuniam in quæſtum collocari, quod ſine pecuniæ retentione non poteſt, & retentionis ſiue moræ pœnā exigere. At præter pœnam fœnus ſtipulari licet, dum tamen intra legitimum modum utriuſq; coniuncta ſumma cōtineatur. l. 4. §. 1. D. de naut. fœn. Quarta eſt, quòd pœna, quamuis indebitè ſoluta, repeti non ſolet: ueluti ſi cùm putarem me tibi promiſiſſe decē, niſi ad diem pecuniam ſoluerem: l. pœnæ, 42. D. de cond. indeb. at uſuræ indebitæ per errorem ſolutę condicuntur, l. ſi non ſortē, 26. D. ill. tit. quod magnoperè notandū eſt. Fuiſſe & quintam antiquo iure differentiam arbitror: ut uſurarum ſtipulatio ſine interpellatione committeretur: l. 9. §. 1. D. h. t. Pœnę uerò interpellationem requireret: l. 2. l. ult. D. de naut. fœn. l. traiectitiæ, 23. D. de oblig. & act. Sed Iuſtiniani conſtitutione differentia hæc ſublata eſt, l. magnam, 9. C. de cont. ſtipul. Deinceps ad partitionem accedamus. Ergo quantum ad perſonas attinet, non dubium eſt, quin iure Romano fœnus exercere perſonis omnibus liceat, præterquam Præſidibus prouinciarū in ſua prouincia: l. 3. C. ſi cert. pet. quia in contrahendis rebus libera eorum, qui alterius imperio ſubiecti ſunt, uoluntas nō uidetur. qua de cauſſa ijs, qui cū imperio ſunt, emere interdicitur l. cùm in officio, 46. D. de con. empt. Perpetuis autem eorum officialibus,

 id eſt,

id eſt, apparitorib. in prouincia manentibus, fœnus exercere permittitur: l. præſides, 34. ſ. ſi cert. pet. Senatorum ſanè filijs fœnerationem cõſtitutione aliqua interdictam fuiſſe, argumento eſt l. pen. C. Th. de uſur. Senatoribus tamen ipſis permiſſam fuiſſe conſtat: alijsque, ut dixi, perſonis omnib. ſed modus pro perſonarũ qualitate impoſitus eſt, ex Iuſtiniani conſtitutione in l. eos, 26. §. 1. C. h. t. ut ſuo loco poſterius exponemus. Vtrum autem fœnebrẽ ſumere pecuniam Prouinciarum rectoribus liceret, an non, quæſtionis eſt: propter d. l. præſides. D. ſi cert. pet. quę id liberum eſſe affirmat: & l. quiſquis, 16. C. ill. tit. quę id uetare uidetur. Verùm intelligendum eſt, hac lege non omnibus interdici fœnerari pecuniam prouinciarum rectoribus: ſed ijs demum, qui eo animo in prouincia uerſantur, ut ſint quaſi mercatores legum, & nundinatores iuris. Res autem, in quibus fœneratio exercetur, eædẽ ſunt, ex quibus deberi uſuras diximus: nimirum quæ non corpore, ſed quantitate, id eſt, pondere, numero, & menſura conſtant: quippe, cùm fœnus appendix ſit contractus mutui; in quem contractum ſolas eius generis res cadere, conſtat ex l. 2. D. ſi cert. pet. Neq; obſtat quod dicitur in l. pro auro, 25. C. h. t. pro auro, argento, ueſte, facto chirographo licitas uſuras ſolui. hoc enim de pretio, quanti ſpecies

illæ æſtimatæ ſunt,intelligi oportet. quo caſu is,qui ſpecies æſtimatas dedit, in creditũ abijſſe dicitur.l.5. § pen.D. de tribut. & ea æſtimatio pecuniæ uicem obtinet:l.rogaſti,11. D.ſi cert. pet.l.ſi pro mutuo,8. C.ill.tit. Atq; hinc illa mirabilis Iuriſconſultorum conflictatio nata eſt,in quæſtione: An pecunia ea lege depoſita,ut tantundem reddatur, uſurę uel ex pacto nudo, uel ex mora debeantur? Nam ſi debentur, contractus ille bonæ fidei ſit oportet: cùm ex mutuo uſuræ niſi per ſtipulationem non debeantur: ut iam demonſtratum eſt: ſi non debentur, mutuum ſit oportet, qua in ſententia fuit Papin. lib. Quæſtion.9. id eſt, in l. Lucius, 24. D. depoſ. ubi ait: Conuentionem illam egredi notiſsimos Depoſiti terminos. At idem lib. Reſponſ. 3. diſertè affirmat, depoſitum hoc eſſe, atque ideò uſuras, ex mora, depoſiti actione rectè peti.l.ſeq. §. 1. D. ill. tit. Contrà uerò Vlpianus, Quaſi mutuum illud eſſe ait, & ex eo certi actionem competere; in eaq; ſententia Neruam, Proculum, & Marcellum eſſe affirmat,l.9. §.ult.& l. ſeq.D. ſi cert.pet. At ex aduerſo Paulus depoſiti actionem ex eo competere, & ex mora uſuras deberi. l. Publia, 26. §.1. D. depoſ. ubi tamen ad uerbum Excedere negationem addendam eſſe, & Paulum Papiniano aduerſari docuimus, Obſeruation. quarto, capite primo: ubi latius

hanc Iuriſconſultorum diſſenſionem expoſuimus. Quare, ut ad inſtitutum redeamus, ſatis conſtat, nec fœnus, nec uſuras alijs ex rebus, quàm quæ in mutuum cadũt, deberi: & ex ijs omnibus deberi poſſe. Qua de cauſſa nõ modò numi, uerumetiam cæteræ res, quæ menſura conſtant, fœnori dari poſſunt: ueluti frumentum, uinum, oleum: l. cũ non frumentum, 16. l. oleo, 23. C. h. t. l. 1. C. Th. eod Quinetiam non tantùm in pecunia, uerumetiam in quouis fructus & emolumenti genere fœnus conſiſtit: ueluti in frugibus. ut ſi quis pecuniam credat, cum pacto, ut pro uſuris certa ſibi frumenti modiatio pręſtetur. d. l. cùm non frumentum, 16. C. h. t. aut ut ex fundo pignori dato fructus percipere liceat, l. ſi ea lege, 17. C. h. t. quæ propriè Antichreſis appellatur: ut poſterius docebimus. Quinetiam in fructibus domus, habitatio numeratur, quæ pro uſura creditæ ſortis interdum conceditur. l. ſi ea pactione, 14. C. h. t. l. 6. C. quod cum eo qui in alien. Ad hunc locum duæ quæſtiones pertinẽt: quarum prior eſt: An fructuum uſuras: poſterior, An uſuras uſurarum exigere liceat? Quantum ad priorẽ, ita ſtatuendum eſt: fructuum quidem creditorum, & qui ſortis locum obtinent, ſtipulari uſuras licere: ut modò dictum eſt. quandoquidem ex eorum numero ſunt, ex quibus mutuum conſiſtit. Sed de fructuum uſuris

diuerſa

diuerſa quæſtio eſt, quæ ita definienda eſt. Fructus in iudicium ueniũt, uel officio iudicis, uel iure actionis. Officio iudicis, cũ poſt litem demum conteſtatã percepti ſunt: neq; enim deduci in actionem potuerũt, ſed rem principalem in iudicium deductã poſt litem conteſtatam auxerũt. Actionis iure, cùm ante litem motam percepti fuerunt. Priore caſu idcirco eorum uſuræ nõ præſtantur, quoniam acceſsionis uicem obtinent: acceſsionis autem acceſsio iure noſtro non conceditur, l. heres, 51. §. ult. D. de her. pet. l. neq;, 15. D. h. t. Poſteriore caſu, quoniam rei principalis in iudicium deductæ pars ſunt: regulariter in bonę fidei iudicijs officio iudicis prętantur d. l. heres, §. ult. At in ſtrictis iudicijs, ut cùm à malæ fidei poſſeſſore condicuntur, non præſtantur. d. l. neq;. Quanquam in bonæ fidei iudicijs unus caſus benigna D. Seueri cõſtitutione excipitur, cùm fiſcus petit hereditatem ex cauſſa fideicommiſsi taciti: tum enim hereditatẽ eorumq; fructus recipiet, fructuum uſuras nõ recipiet, l. eum qui, 18. D. de his quæ ut indig. Neq; obſtat D. Pij conſtitutio in l. cùm quidã, 17. §. in tacito. D. h. t. ubi ſtatuit, ut in tacito fideicommiſſo etiam uſurarum emolumentum heredi auferatur: quia nõ de uſuris fructuum agitur, ſed de uſuris à debitoribus hereditarijs perceptis. Deinceps de uſuris uſurarũ uideamus,

nam

nam ut eas exigi licere uideatur, ſic diſputari poteſt: quoniam penſitationes aliquãti temporis, anni puta, aut biennij, non ſolutæ, ſortem nouam efficere uidentur. Nam cùm debitor non ſolueret, uidebatur creditorem uſu pecuniæ illi debitæ, per ſuam ceſſationem fraudare. Contrarium tamen etiam antiquo iure conſtitutum fuit: l. placuit, 19. D. h. t. l. ſi non ſortem, 26. §. 2. D. de cond. indeb. cuius iuris æquitas hæc uidetur. Primùm, odium uſurarum, ne tenues & inopes debitores multiplicandis uſuris obruerentur: deinde, ne acceſsio acceſsionis permitteretur: contra l. uideamus, 19. D. h. t. uel commoda commodorum, quaſi duplex unius rei merces, l. 2. §. ſi indemnitas. D. de admin. rer. ad ciu. qua de cauſſa Imperatorum conſtitutionibus uetitum fuit, ne pœnarum uſuras exigi liceret: l. ult. D. de magiſt. conuen. Hæc cùm ita eſſent, tamen à fœneratoribus excogitata fraus fuerat, ut aliquanti temporis uſuras, anni puta, uel biennij, per ſtipulationem in ſortem redigerent, atque ita principalem contractum nouarent: qui à ἀνατοκισμὸς, à Cicerone, Renouatio fœnoris appellatur, lib. ad Atticum, epiſtol. quarto. Et hæc renouatio antiquo iure in rei iudicatæ uſuris permittebatur, l. 1. C. Th. de uſur. rei iudic. Sed cùm in illo caſu, tum etiam in cæteris omnibus Imperator uſurarum renoua-

nonationem prohibuit, l. 1. C. de uſur. rei iudic. l. ult. C. h. t. Supereſt, ut de iure Fœnerationis uideamus, ubi hæc prima occurrit quæſtio: An Fœneratio in bene morata ciuitate toleranda ſit. Nam ut eſſe uideatur, diſputari ſic poteſt: primum: Quemadmodum æquitati naturali conſentaneum eſt, pro cæteris rebus omnib. utendis datis, mercedem paciſci: ita pro pecunia utenda data mercede paciſci nõ iniquum uidetur. Similiterq; ex contrario, ſi naturalis æquitas poſtulat, ut gratis pecunia utenda daretur: etiam cæterarum rerum omnium uſus gratuitò concedendus eſſet, ac proinde locatio & conductio ex communi uita tollenda, quod eſſe abſurdiſsimum inter ſanos omnes conſtat. Quinetiam Fœneratio quaſi locatio quædam pecuniæ uidetur eſſe: unde Collocare pecuniam fœnori ueteres dicebant, quaſi locare: ut in l. uxori, 24. D. de uſufruct. leg. l. ſi bene, 13. D. h. t. Tullius Officiorum ſecundo: Pecuniæ non quærendæ ſolùm ratio eſt, uerumetiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet. Et ex contrario, Conducere nummos dixit Horatius, Satyra ſecunda, pro Fœnori accipere:

*Omnia conductis coemens obſonia nummis.*

id eſt, fœnori acceptis. unde paulo pòſt Fœnus Mercedem appellat.

*Quinas huic capiti mercedes exſecat.* ubi tamē Exigit legi poſſet. Quinetiam ut merces locati prædij Reditus uulgò appellatur, l.liberto, 21.D.de an.leg. ita Fœnus quod annuum eſt, Pecunię reditus appellatur.l.Titius,24.D.de præſc.uerb.& l.qui quadringēta,88.§.1. D. ad leg.Falc. Sequitur argumentum ſecundum: Naturæ conſentaneum eſt, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem,& ex alterius incōmodo ſuum augere commodū: l. natura,D.de cond.indeb. Debitor utens creditoris pecuniā, ei commodum illud intercipit: nam creditor ſuos nummos aut mercatura facienda exercuiſſet, aut eos in prædiorum emptionem collocaſſet.Quare conſentaneum eſt, debitorem ei damnum illud ſarcire,ne ex alterius damnò lucrū faciat. Seq. tertium. Quemadmodū æquum eſt,emptorem,qui re ſibi tradita pretium non ſoluit, eius pecuniæ uſuras præſtare, l.Iulianus,13.§. ex uendito. D. de act.empt.eodem modo æquum uidetur, eundem, cui uenditor accepto pretio confeſtim illud mutuat, aūt eum iubet rei pretium in mutui uicē habere, eius pecunię & uſuras ſoluere,uelut in l.3.§.pen. D.ad Macedon. & l.ſi ex pretio, 6. C. ſi cert. petat. Quid enim intereſt, utrum ab eo, qui pecuniam alienam ex cauſſa uenditi, an ab eo,qui ex mutui cauſſa pecuniam retinet, uſura exigaturū? Seq.quart.Quemadmodum
ars

ars cauponatrix in bene conſtituta ciuitate opportuna iudicatur, cùm quidá edulia rure ab agricolis & piſcatoribus in urbem allata coemunt, ut ea poſteá ciuibus diuendant, licet eo cõmercio quæſtui ſuo conſulant: (in quo etiam Platonis auctoritas laudatur, l. 2. D. de nund.) ita cùm ὀβολοςατική, fœneratrix, numularia, magnas ad uſum uitæ cõmunis opportunitates habere ſemper iudicata ſit; non immeritò in bene morata ciuitate probanda, & toleranda uidetur: l. quod priuilegium, 8. D. depoſ. Ac memorabile eſt; quod Imp. Leo, philoſophus, pietatis & religionis Chriſtianæ ſtudioſiſsimus; & qui concubinatum è repub. Chriſtiana ſuſtulit, ſcribit, patrem ſuum Baſilium Macedonẽ fœneratione Chriſtianis omnibus interdixiſſe: ſed poſteá ſeſe comperiſſe, humanam uitam arte illa carere non poſſe: trientesq; uſuras permiſit: Nou. 83. Illam autem Baſilij conſtitutionem eſſe nõ dubito, quæ Leoni falsò inſcripta eſt, apud Harmenop. lib. 3. tit. 7. ubi iubet pluris fieri à Chriſtianis legem Dei, quæ fœneratiõnẽ prohibuit, quàm commoda, quæ ex ea comparari putantur. Quintum argumentum proferri poteſt, quòd leges Impp. Chriſtianorum (ueluti, Conſtantini & Iuſtiniani) fœneratiõnẽ permittunt. Lex autem eſt rerũ humanarũ, ac præſertim bonorum ac fortunarũ cuiuſq; ciuis domina & regina:

ut ex Chryſippo Marcianus tradit in l. 2. D. de legibus. Quare ut cæteræ leges de adquirendis dominijs in quaq; ciuitate dominantur: quamuis aliarum ciuitatũ leges ſint diſſimillimæ: ita lex de fœnore & mercede aliqua ob uſum pecuniæ præſtanda, præſertim ab Impp. Chriſtianis promulgata, nõ improbanda uidetur. Poſtremum argumentũ eſſe poterit, quòd in fœnore per ſe & ſimpliciter cõſiderato uitium nullũ eſt. quid enim ſi unciarũ ſit? quale olim legib. 12. tab. permiſſum fuiſſe, Tacitus lib. 5. teſtatur: an nõ potius debitoris ꝙ creditoris commodo exercebitur? Omne igitur fœnerationis uitium in quantitate ac magnitudine acceſsionis, nõ in ipſa acceſsione & incremento poſitũ uidetur: cũ (ut s. docuimus) corruptiſsimis reip. Rom. temporib. uſitatiſsima & frequentiſs. uſura eſſet centeſima: ſæpe autẽ binæ, ternæ, atq; quaternę centeſimę exercebantur adeò: qua ex magnitudine natũ eſſe fœneratorũ odiũ conſtat: cùm illa fœnoris acerbitate, nõ longo tempore debitorũ inopum fortunas exhaurirent, ut apud Auſon. *Si turpia lucra*

*Fœnoris: aut uelox inopes uſura trucidat.*

Et apud Demoſth. Olinth. 1: *οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ μεγάλοις τόκοις μικρὸν εὐπορήσαντες, χρόνον ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀφίστανται.* Cùm igitur Iuſtiniani conſtitutione certus uſuris modus ſit impoſitus: nihil incõmodi uidetur, fœnerationem

in

in bene morata ciuitate exercere. Neq; uerò mouere nos inania quædam argumenta debent, ueluti ſi quis diſputaret, idcircò fœnerationem eſſe damnandã, quòd ex re aliena fructum quærit: nam pecuniæ quidẽ mutuæ dominium in debitorem tranſlatum eſſe fatendum eſt, neq; mutuũ contrahi, niſi & dominus ſit qui dat, & dominus fiat qui accipit: l.2.§.2.& §.pen.l.nam etſi,15.l.nõ omnis,19.§. ult.D.ſi cert.pet. ſed nõ ſi aliena res eſt, idcircò ex ea fructũ percipere extraneo nõ licet. Nã & colonus ex fundo alieno fructus percipit, & fructuarius, & uſuarius: atque adeò maritus, ſi ueritatẽ non fictionẽ ſpectemus, l.in reb.30.C.de iur.dot. Nihilomagis moue re nos debet, quòd creditor ſine labore, ſine impendio, ſine ulla ſua opera fructum quærit. Nam etſi fœneratio quæſtuoſæ (ut Plin. eleganter dixit) ſegnitiæ materiam præbet, atq; ab induſtria homines auocat: non tamẽ ſi quã in rem nullã meam induſtriam, operã cõfero, idcircò mihi ex ea percipere fructum nõ licet. Nã & dominus, qui colono, inquili nóue prædiũ locauit, uel pecora paſcẽda par tiario dedit, operã nullã confert: l.5.C.de pac. & ſocius, qui ſolã pecuniã contulit ex negotiatione, quã alter ſolus exercet, iure cõſequi tur lucri partẽ, l.ſi nõ fuer.29.D.ꝓ ſoc. Minus etiã aduerſatur, ꝙ Ariſtot. diſputat, cõtra naturam eſſe, ex nũmis ſterilib. fructũ quærere.

εὐλογώτατα, inquit, μισεῖται ἡ ὀβολοστατική, διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν. Iure optimo, inquit, fœneratio in odio eſt, quoniam ex ipſo nummo lucrũ quærit. quod ipſius argumentum etiam Ambroſius & Chryſoſtomus ſecuti ſunt. Sed non ſi res per ſe ſterilis eſt, idcirco cum opera & induſtria coniuncta excoli, & frugifera, fructuoſaq; reddi non poteſt. Non enim fructus omnis naturalis eſt: ut cùm prædiorũ fruges, & animalium partus, fructũ appellamus: l.43. D. de euict. Fructus enim quidã ciuiles ſunt, ueluti mercedes locationum, operarũ, ſeruorum, uecturę, nauium & iumentorũ. l. mercedes, 29. D. de hæred. petit. Quinetiam uſura pecuniæ modò redditus, modò fructus appellatur, ut iam aliquoties demonſtratum eſt: alioqui ridiculum eſſet dicere, quia mula ſterilis eſt, idcircò nullum ex eius locatione percipi fructum licere: cùm omnium iumentorum uecturæ fructus paſsim appellentur: ut in l.8. §. 1. D. de reb. auct. iud. poſſ. l.39. De legat. 1. atq; adeò etiam nauis uectura fructus dicitur: & uſuræ in eo comparatur, quòd neutra natura prouenit, ſed iure percipitur: l. ſi nauis, 62. D. de rei uindic. Neq; minus abſurdum eſſet diſputare, quia domus domum, aut nauis uecturam non parit, idcircò mercedem ex eius locatione exigi nõ licere. Sed rectiſsimè Papin. illo loco ſcripſit, uſuram nõ natura prouenire,

uenire,ſed iure percipi. Et Pomponius: Vſura pecuniæ, quam percipimus(inquit)in fructu non eſt: quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſſa eſt, id eſt, perſonæ obligatione, l. uſurę, 121. D. de uerb. ſignif. Quod igitur Sterilis aut Fructuoſæ pecuniæ nomen in iure noſtro uſurpamus: ut in l. debitor, 7. l. ſi bene, 33. ſ. h. t. l. 3. ſ. uſuris. D. de cont. tut. act. nequaquam ad propriam fructuum uel naturalium, uel ciuilium rationem referendum eſt, ſed ut per translationē dictum, accipiendum eſt: quoniã(ut Feſtus ſcribit)Fœnus appellatur, naturalis terrę fœtus: ob quam cauſſam & nummorum fœtus Fœnus eſt uocatũ: & fœnebris pecunia, quòd crediti nummi alios pariant: & apud Græcos eadem res τόκος dicitur, παρὰ τὸ τίκτειν. His igitur aut ſimilibus argumētis probari uidetur poſſe fœneratio: ac præſertim, ut nonnullis placere uideo, cũ quis mediocrib. fortunis præditus, ſed præſenti pecunia fortè inſtructus, opulentiori multò, ſed minus à præſenti pecunia parato pecuniam ſub uſuris credit. Verùm his omnibus non obſtantibus, contrariam ſententiam ueriorē & probabiliorem eſſe arbitror, ijs de cauſsis, quas ſubſcribemus. Nam primum & ſummum argumentum ex auctoritate Scripturæ ſacræ ducitur, Exod. 22. Leuit. 25. Deut. 23. ubi Deus uetat, ne eius ciuitatis ciues, quam ipſe pro ſua ſapientia inſtitue-

rat, ex creditis pecunijs uel fœnus, uel quãuis aliam acceſsioné, ſiue exuperantiam, & additamentum exigant. Nam utrunq; etiam Ezechiel cõiungit, fœnus & exuperantiam: ſiue, ut quidam conuertunt, ſuperabundantiam, cap. 18. Ac fœnus quidé Hebraicè Nezech appellatur: quo uerbo morſus ſignificatur, quaſi quod debitorum fortunas arrodat, ac deminuat. Additamentum aũt, Tarbat: ut diſputari poſsit, non eam tantũ uſuram damnari, quæ ciuem mordet atq; arrodit; hoc eſt, damno afficit, eiusq; bona deminuit: uerumetiam omnem ad ſortem acceſsionem, eiusq; incrementũ: quo uerbo Fœnus nonnunquã à noſtris appellatur: ut in l. 9. D. de alim. & cib. leg. l. 1. §. belliſsimè. D. ut legat. nom. cau. Etſi autem huc referri ſolet illud Chriſti pręceptum, Luc. 6. δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες; tamen à multis iam demonſtratum eſt, uerba illa ad ſortem potius, quàm ad fœnus pertinere: propterea quòd paulò antè dixerat: ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν: quaſi ἀπελπίζοντες dictum eſſet, pro ἐλπίζοντες ἀπολαβεῖν. Atq; ita Baſilius locum illum in Pſal. 14. diſertè interpretatur. Secundũ argumentum erit, ex ueterũ ſummorũ legislatorum auctoritate, Scripturæ ſacræ conſentanea. Nam Plato quidem lib. de legib. 5. fœneratorem, & ſorte & uſuris multat: μὴ δὲ δανείζειν, inquit, ἐπὶ τόκῳ: ὡς ἐξὸν μὴ ἀποδιδόναι τὸ παράπαν

τῷ ἀχνεισαμένῳ, μήτε τόκον, μήτε κεφάλαιον. In eandemq; ſententiam Ariſtoteles lib. Politic. 1. multa ſcribit, & fœneratorum quæſtum lenonum quæſtui cóparat. Et Plutarchus eadem de re libellum ſcripſit, ubi ait: Fœneratores contra naturam de nihilo nihil efficere, & ab ijs ex eo quod nõ eſt, neq; unquam fuit, lucrum captari. Similiterq; Seneca lib. de Benef. 7. Quid Fœnus, & Kalendarium, & Vſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? Et Cicero in Offic. Catonem Maiorem laudat, quòd fœnerari, & hominem occidere eodem loco haberet. Quinetiam, ut ad ius noſtrũ, hoc eſt, ad Rem publicam R. ueniamus: idem Cato in lib. de Re ruſt. ſcribit: Legibus 12. tabul. fœneratorem quadrupli damnatum, cùm fures duplo tantùm damnarentur: ex quo, inquit, intelligi poteſt, quanto improbiorem fure fœneratorem exiſtimarint. Neque obſtat, quod Tacitus libro quinto ſcribit: ijſdem duodecim tabul. ſancitum fuiſſe, ne quis unciario amplius exerceret. Nam cùm unciarium fœnus creditori magis propè damnoſum ſit quàm lucroſum, illuſam hac lege fœneratoriam artem eſſe conſtat. Tertium argumentum ex intima Iuriſprudẽtia eruendum eſt, hoc modo: Ei demum quæque res quæſtuoſa eſſe debet, cuius periculo eſt: neque enim antè rem cuique quæſtui eſſe oportet

quàm eius periculo ſit: ait Pomp.in l. is qui, 13.§.1.D.commod.neq; ullum lucri, quęſtus, ęmolumẽti genus, in tota Iuriſprudentia reperietur, quod non indiuiduè coniunctũ periculum habeat. l.ſi non fuerunt, 29.in fi. l.ſi igitur, 55. eod. l. ſecundũ naturam, 10. D. de reg.iur. At in Mutuo ſortis periculum à creditore in debitorẽ tranſit: & ſiue incendio, ſiue latrocinio, alióue caſu fortuito ſors perierit, ſoli debitori perit: creditori ſemper certa eſt. l. incendium, 11. C. ſi cert.pet. l.qui negotia, 34.D.mandat. quod nõ modò propter perſonalem debitoris obligationem dici pòteſt, uerumetiam quia non rarò fœneratori pignoribus, interdum etiam prædijs prædibusque cauetur. Neq; ad rem pertinet, quòd credita pecunia dicitur eſſe periculo eius qui dedit, & ei demum uſura deberi, cuius periculo ſors apud debitorẽ collocata eſt, quamuit alteríus, aut pluriũ ea pecunia ſit. l. ſi nauis, 62. D.de rei uind. l. poſtulante, 44. D. ad Tertull. l. ſi unus, 67. §.1.D.pro ſoc. l. idemq;, 10.§.ſi mandauero. D. mand. Primùm, quoniam hoc de duobus debitorib. dicitur, quorum prior alteri credidit: cuius poſterioris periculo pecunia eſt. Deinde duplex in pecunia periculum eſt: unum corporum, quod ad eum, penes quẽ pecunia eſt, pertinet: alterum obligationis, cuius periculum ad dantem pertinet: ſi fortè propter debitoris inopiam

piam inanis euaderet. l.6.D.de dol. Verùm (ut dixi) nonnunquam fœneratores ſibi,aut pignoribus, aut fideiuſſoribus cauet. Quare iniquum uidetur, ſortem,quę debitoris peri culo eſt, creditori quæſtuoſam eſſe: idq; eò magis,quia nõ modò ſors creditori ſemper tuta & extra periculũ eſt, uerumetiam certũ & exploratum ei lucrũ affert:atq; ita duplex ex credito commodum ad fœneratorem redit:nam & pecuniam ſuam tutò & extra periculum collocat, & certum ex ea lucrum adipiſcitur. Vnde quartum argumentum duci poteſt. Repugnant enim,ex ſorte & negotiatione incerta certũ lucrũ captare.nam ubi periculum eſt,(ait Iuſt.) ibi lucrum collocandum eſt,l.ult.§.pen. C.de fur. Dixi, Negotiatione: ut eas fœnerationes remoueamus, quæ aduerſus calamitoſos exercentur: quas ferè boni omnes execrantur. Sed ut eorum diſputationem adiuuemus, qui cõtendunt, nihil eſſe incommodi, ſi ab eo lucrũ aliquod ſtipulemur, cui negotiaturo credidimus.
Quid enim,ſi infeliciter ei negotiatio ſucceſſerit? an non iniquum eſt, lucrum ex alieno damno & iactura quęrere? ut ait text.in l. reſcriptũ,12.§.1.D.de diſt.pig.l.quoties,16.D.de iur.dot.l. itaque, 28.D.de dol. Bono & æquo nõ conuenit,inquit Pomponius, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum:l.6.D.de iur. dot.

quod poſterius perſępe accidit, ut quidquid quæſtus mercator induſtrius fecerit, id totũ fœneratori pro uſuris prętare debeat. Quintum eſt, quod cùm Mutuum ex eorum contractuum numero ſit, qui officij cauſſa, & ad utilitatem eius qui accipit, inſtituti ſunt: ſicuti commodatum & precarium: tamẽ per fœnerationem ad quæſtum & eius qui dedit utilitatem, contorquetur. Nam mutui natura eſt, ut ſit gratuitum: l. ſi tibi, 17, §. 1. D. de pact. l. rogaſti, 11. §. 1. D. ſi cert. pet. per fœnerationem autem corrumpitur, & quæſtuoſum efficitur, l. grauius, 71. §. ult. D. de fideiuſ. Nam ut ſuprà dictum eſt, plerunq; ex die ſtipulationis uſuræ deberi incipiunt, atq; adeò certi temporis repræſentãtur, l. 4. §. ult. & l. qui in futurum, 57. D. de pact. Sextum argumentum eſt, quòd ex aliena re domino inuito fructus quęritur: nám etſi debitor ſtipulanti fœneratori uſuras promittit, ac proinde conſentire uidetur: & regulariter in iure noſtro uoluntas coacta cenſetur: ut in l. ſi patre, 22. D. de rit. nupt. l. apud Iulianũ, 11. D. ad Treb. tamen ſi ueritatem ſpectemus, libera & integra uoluntas non eſt, l. ſi mulier, 21. §. pen. D. quod. met. cauſſ. Neque dubium eſt, quin debitor gratuitam, quàm fœnebrem pecuniam mallet: ſed rei nummariæ difficultate, ſæpe etiam calamitate coactus, uſuras promittit. qui uerò non integra uoluntate conſentit,

ſentit,inuitus appellatur; l. ſi metus,85.D.de adq.hered. Septimum argumentum Ariſtoteles ſuppeditat,cùm ait: Fœnus idcircò eſſe omnium adquirendi modorũ maximè contra naturam,quod ex ipſo nummo, qui permutationis cauſſa inuentus eſt,quæſtum facit. nam ſatis conſtat, nummum uenditionis & locationis cauſſa inſtitutum fuiſſe, cuius æſtimatio difficultatibus permutationũ ſubueniret, ut ait Paulus, l.1. D. de contract. empt. Quare cùm per nummum cuiusque rei æſtimatio, tum in uenditionibus, tum in locationibus fiat: ſequitur, ut neque uenditio, neque locatio in nummum cadat, ne idem ſit & merx, & pretium mercedis: & quæ res aliarum rerum omnium æſtimandarum cauſſa inſtituta eſt, ea ipſa, eiusúe uſus æſtimetur: l. ſi ita, 43. D. de fideiuſs. l. 3. D. de in lit. iur. Octauum argumentum ex Plutarcho ſumi poteſt, qui in libello aduerſus fœnerationem ſcripto, ait: Fœnus idcircò contra naturam eſſe, quia ex eo, quod non eſt, neque unquam fuit, generatur: cùm lege naturæ (inquit) ex nihilo nihil gignatur. Et reuera ita ſe habet, ut cum pecunia (quemadmodum iam dictum eſt) permutationis ſolummodò cauſſa inſtituta ſit, ut ubi nihil permutetur, iniquum ſit pecuniam exigere. Fœnerator autem nihil permutat; quoniam ſolida ei ſors redditur. Ita

pro nihilo & ex nihilo quæſtum facit. Deinceps uidendum eſt, quemadmodum ſuperioribus argumentis reſponderi poſsit. Ergo quantum ad primum attinet, dicendum eſt: Pecuniam, ſimilesq; res, quæ quantitate conſtant, idcircò cadere in locationem non poſſe: primùm, quia nulli niſi ad conſumendum uſui ſunt: l.3.§.ult.D.commod. Pecunia (inquit Imp.) uſu & aſsidua permutatione quodammodo exſtinguitur, §.2. De uſufr. uinum, frumentum, oleum, nullum ſine interitu & cõſumptione uſum præbere poſſunt: l.1.D.de uſufr.ear.rer. Itaq; in Mutuo non ad idem, ſed ad tantundem reddendum obligamur: l.2. D. ſi cert. pet. At in locatione idem corpus, eademq; forma reddẽda eſt: l.uideamus, 11.§.2.D.locat. Altera cauſſa eſt, quia nõ modò locatæ rei tum dominium tum periculum penes locatorem manet, l. 9. §.1.l.nõ ſolet, 39.D.locat.l.in iudicio, 28.C.eod. uerũ etiam colonus mercedem, ſi qua calamitas acciderit, nõ debet. Iniquum eſt (ait textus) præter damnum ſeminis amiſsi etiam mercedem exſoluere.l.ex conducto.§.ubicunq;. D.eod. At in mutuo non modò pecuniæ dominium & periculum in debitorem tranſit, uerumetiam ſi & ſortem, & inſuper operam ſuam perdiderit, nihilominus fœneratori & ſortem & uſuras debet: l.incendium, 11. C.ſi cert.pet. Eò accedit, quòd res locatæ nõ modò

dò mobiles uſu conductoris atteruntur, in quo damnum locatoris manifeſtum eſt: uerumetiam quędam immobiles: ut prædia urbana propter ſarta tecta, cenſus & tributa, oneri & ſumptui domino eſſe ſolent: l. ex conducto, 15. l. ſed addes, 19. §. illud. D. locat. l. 7. D. de public. quæ omnia locũ in mutuo non habent. Quare, ut ueteres locari & conduci nummos dixerint, aut fœnus Mercedẽ Reditumúe appellarint: tamen id ut translatè & uenuſtè, non autem uerè ac propiè dictũ, intelligendum eſt. Nam eodẽ modo feſtiua trãslatione dicebãt, Occupare pecuniã, pro Exercere, & fœnori collocare. Cicero ꝓ Flacco: Pecuniam adoleſcentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauiſti. Et Verrin. 3. Pecunias occuparat apud populos. Ex contrario, Vacare pecuniam dicebant, quæ in arca relinquitur, nec occupatur. l. cùm plures, 12. in fi. D. de admin. tut. Et uacuam quaſi uacantem pecuniam: in l. quintus, 28. D. depoſ. & l. Titius, 24. D. de præſc. uerb. quæ alijs locis Otioſa dicitur: uelut in l. qui ſemiſſes, 13. §. ult. D. de uſur. Quantum ad ſecundum argumẽtum attinet, duplex reſponſio eſt: primùm, quod in fœneratione nullũ creditoris damnum aut incommodũ uerſatur: quoniam (ut ſuprà dictum eſt) fœnus exigitur à creditoribus, etiamſi nihil illorũ interfuerat, uſu caruiſſe ſuæ pecuniæ: & ſolius lu-

cri captandi, non damni compenſandi cauſſa inſtitutum eſt. alioqui compenſatoria uſura eſſet, non fœnus. l. cùm quidam, 17. §. ſi pupillo. D. h. t. Deinde quod lucrum illud ceſſans, quod fœneratores ſibi interceptum queruntur, & uulgò ſuum Intereſſe appellant, incertum fuit: quandoquidem neque mercatura, neque prædiorum comparatio ſemper feliciter ſuccedit. Quare perniquum eſſet, incertam lueri ſpem cum certo ipſius fœnoris lucro commutare. Ad tertium reſpondendum eſt: primùm, diſsimilem eſſe rationem debitoris ex cauſſa empti & uenditi, & debitoris ex cauſſa mutui. nam ille plerunque, creditore inuito, pecuniam retinet. qua de cauſſa, cùm uериſimiliter uenditoris interſit, uſuræ non ad lucrum, ſed ad eius, quod propter moram intereſt, compenſationem conceduntur: l. cùm quidam, 17. §. ſi pupilli. ȷ. h. t. At hic creditore non modò uolente, uerumetiam (ut fœneratorum inſtitutum fert) cupiente, pecunia ipſius utitur, in quo non damni compenſatio, ſed apertum lucrum appetitur, d. l. 4. §. ult. D. de pact. & quod officij cauſſa in uita hominum inſtitutum eſt, ad quæſtum conuertitur. contra l. idemq́ue, 10. §. ſi mandauero. & l. ita ut omnes, 26. §. 1. D. mand. Præterea in huiuſmodi conuentionibus cautio adhibenda eſſet, uidendumq́;

ne

ne fraus legi fieret: ſi fortè uenditor hoc prætextu & colore differendæ ſolutionis uſus eſſet, ut fœnerationem tegeret, l. 3. §. penult. D. ad Maced. Quartum & quintum argumentum, quę ab auctoritate ducta ſunt, contraria auctoritate refelluntur. Nam ut aliquo tempore fœneratorum ars Romę probata ſit, tamen alio tempore peſtifera & propè exitialis iudicata eſt. Itaque uidere licet paſsim in Liuij, Dioniſij, Appiani, & aliorum libris ſeditiones, ciuileſque diſſenſiones quàm plurimas, quæ Rempublicam Romanam, propter fœnerationis incommoda propè funditùs euerterunt. Quod uerò de cauponatrice dictum eſt, ita facillimè refellitur: Etſi nundinatio illa cariores ciuibus epulas reddit, tamen damnum illud, qualecunque ſit, cum eo commodo compenſari, quod ex ſubita ruſticorum ad opus ſuum dimiſsione comparatur. Ex fœneratione uerò nullum, neq; reipublicæ, neque priuato cuiquam emolumentum, ſed contra & priuatim & publicè detrimentum affertur: idque quotidiana experientia ſeculis omnibus docuit, in Numularijs, qui foro cedunt, ut Plautus loquitur, quæ incommoda nõ ſine multorum calamitate poſſunt accidere. Quod etiam Imperator Conſtantinus ſuo tempore factitatum teſtatur in l. lex quę, 22. §. ult. C. de admin. tut. Pecunię ipſius,

inquit,

inquit, in qua robur omne patrimoniorum ueteres poſuerunt fœnerandi, uſus uix diuturnus, uix cōtinuus & ſtabilis eſt: quo ſubſecuto, intercidente ſæpe pecunia, ad nihilū patrimonia deducuntur. Leoni uerò philoſopho Chriſtiano Imperatori, & Conſtantino, & Iuſtiniano, non modò ueteris eccleſię ſummum conſenſum oppono, ac præſertim ſynodum Nicenam, uerumetiam Scripturæ ſacræ auctoritatem: quæ, ut dixi, non modò rodentem & carpentē uſuram, uerumetiam omnem ad mutuū acceſsionem, incrementum & additamentum damnat: Exod. 22. & Ezech. 18. quem in locum præclara Theologi cuiuſdam ſententia extat, indignam Deo fieri contumeliam, ſi quis neget, eum ſatis prouidiſſe, quæ ad ciuitatem bene ac beatè conſtituendam pertineret. neq; dici poteſt, conſtare ciuitatem ſine fœneratione nō poſſe, ut non de perfecta Dei ſapientia cōtumeliosè detrahatur. Quæ cùm ita ſe habeant, concludi poſſe arbitror, eam demum de ſortis incremento conuentionem probandam eſſe, in qua ex creditoris parte duo hæc concurrunt: ut neq; quæſtus cauſſa ab illo facta ſit, & eius interſit, uſu ſuæ pecuniæ caruiſſe: ex debitoris autem parte, ut non modò damnum in exercenda pecunia non ſenſerit, uerumetiam lucri aliquid per eius pecuniæ occaſionem perceperit. Nam quantū ad ſo-

cietatem.

cietatem attinet, certum eſt, eam ſine lucri & damni cõmunione non conſiſtere, l. ſi unus, 67. l. ſi nõ fuerint, 29. & l. ſeq. D. pro ſoc. Verùm hæc quidem ex Chriſtianæ religionis diſciplina de iure fœnerationis hactenus diſputata ſint. Deinceps alter locus ſequitur, qui propriè ad ius ciuile pertinet, de uſurarum & fœnoris modo, quod (ut diximus) iure illo probatum eſt. Modus autem duplex eſt. Prior pertinet ad menſtruam cuiuſq; penſionis quãtitatem: altera ad finem omnium penſionum. Prior modus eſt centeſima: poſterior eſt dupla. Quantum ad priorem, certum eſt illum pro ſortis ſumma & proportione conſtitui. Sors uerò, quantacunq; ſit, ad numerum centenarium reducitur: Græcorum (ut opinor) inſtituto, qui, cùm in mina centum drachmæ eſſent, ſortem ad minæ, uſuras uerò ad drachmarum rationem redegerunt. Romani autem hoc ampliùs adiecerunt: nam cùm totum, & cui nihil abeſſe poteſt, aſſem appellarent, l. ſeruum, 50. §. ult. D. de hered. inſt. ſummam autem uſuram eſſe conſtituiſſent centeſimam, hoc eſt, cùm centeſima ſortis pars ſingulis menſibus ſoluitur, centeſimã uſuram aſſem nominarunt, minoresq; uſuras aſsis partium nominibus centeſimæ reſpectu appellarunt. Ac ſummam quidem uſuram eſſe centeſimam conſtat, eamq; maximæ & grauiſsimæ nomine

deſignari: l.tutor,7. §. idem ſolent. D. de admin.tut. l.qui ſine,38.D.de neg.geſt. Antiqua enim lege,12.tabulis multo poſteriore, cuius nomen nobis adhuc ignotum eſt, uetitum fuit, ne maiorem centeſima petere uſuram liceret:l.1.in prin.D.h.t. Vnde legitimæ uſuræ nomine Centeſima dilucidè appellatur in l.ſi pro mutua,8.C.ſi cer.pet. & tacitè intelligitur,ex l. Iulianus,13. §. idem Papin. D. de act.empt.l.1.§.pacto. D. de pign. quapropter legitimæ & maximæ uſuræ promiſcuè appellantur,l.7. §.pecuniæ.l.nō exiſtimo.D.de admin.tut.l.3.C.arb.tut. d.l.q ſine. D.de neg. geſt.l.1.C.de uſur.pup. Nequaquam igitur As uſurarius ex 12.menſtruis penſionib. quæ anno uno pręſtantur,nominatus eſt, ſed ex ſupremo modo, cui addi nihil liceret. Itaq; cū Trientē aut Semiſsē uſurariū ueteres dicūt, cēteſimæ reſpectu id dicūt: ac nō annuæ,ſed menſtruę penſionis reſpectu: ut in l.eos qui, 26. §. 1. C. h.t. Minimè licere ultra tertiā partē cēteſimę uſuras ſtipulari,&c. & mox: Vſq; ad beſſem cēteſimæ. Item paulò poſt: Dimidiā tantūmodò centeſimę. & in l.ult.C.de ſiſ. uſur.uſq; ad dimidiā centeſimę uſuras ſtipulari.Itē in l.cū quidā,17.in fi.D.h.t.uſq; ad tertiā cēteſimæ. & in Cod.Th.l.ult.h.t. Sub medietate cēteſimæ.& mox:ultra medietatē cēteſimæ. Atq; hic quidē ſummus (ut dixi) uſurarū modus lege antiqua cōſtitutus fuit,intra

tra quē tamē uaria, pro cuiuſq; regionis conſuetudine, penſionum ratio fuit. nam in quibuſdam grauioribus, in alijs leuiorib. uſuris pecuniæ exercebantur: uti patet ex l. 1. & l. et in contraria, 37. D. h. t. l. 3, D. quod cer. loc. l. cū ſeruus, 39. de legat. 1. Sic igitur antiquis (ut dixi) legibus, & principum conſtitutionib. definitus uſurarum modus fuit: uerùm, ut plerunq; accidit, complures à fœneratorib. aſtutię excogitatę ſunt, quibus fraus illis legibus fieret. Primùm, ut pro uſuris pœnā ſtipularētur, cuius ſumma legitimū uſurarum modū excederet: quaſi lex, quę uſuris modū impoſuit, ad pœnas non pertineret. cui fraudi poſteriorum principū reſcriptis obuiam itum eſt, l. pecuniæ, 9. l. pœnā, 44. D. h. t. l. Iulian. 13. §. ibid. Papin. D. de act. emp. l. cùm allegas, 15. C. h. t. Secunda fœneratorū fraus fuit, ut uſurā quidem intra modum ſtipularētur, ſed inſuper pœnæ ſtipulationē adderent, in quo duplex uitiū eſt: primùm, quia repugnāt collocare pecuniam in quęſtū (quod ſine pecuniæ retētione fieri nō poteſt) & retentionis ſiue morę pœnam exigere. qua de cauſſa hoc quoq; prohibitū eſt, l. pecun. 9. §. 1. D. h. t. Deinde ſi legitimus uſurarū modus ſuperabatur, apertè fraudē legi fieri intelligebatur. Ex contrario uerò præter pœnam exigi uſura poteſt, dum tamē utriuſq; ſumma coniuncta legitimum modū non exſuperet: l. 4. §. 1.

D.de naut. fœn. l.Lucius, 47.D. de act.empt. Tertia fraus fuit, ut ſi minores uſuræ ſua die non præſtarentur, tum maiores pœnę nomine inferrentur, quàm legitimus modus patiebatur: quod ſimiliter prohibitum fuit, cōſtitutumque, ut fini legitimæ uſuræ, hoc eſt, intra finem & modum legitimum ea quantitas redigeretur, l. Seia, 12. D.h.t.l. quamuis, 8. C.eod. Quarta fraus fuit, ut fœneratores pro uſuris fructus prædij ſibi pignerati quanticunq; eſſent, perciperent: quam conuentionem etiam ad legitimum uſurarum modum reuocandā eſſe, poſterius cùm de Antichreſi dicetur, oſtendemus. Atq; hęc quidem antiqui iuris ratio fuit. Iuſtinianus autem nouam definiendi uſurarum modi rationē inſtituit, pro perſonarum conditione & qualitate: illud, opinor, ſpectans, quòd cùm Chriſtianæ religioni nō conueniret, uel uſuram, uel fœnus, niſi propter id quod intereſt, exigere: ſumma eius, quod intereſt, pro uaria perſonarū ratione definienda uideretur. Illuſtribus igitur & ſuperilluſtribus, Conſulibus puta, & Patricijs, & Senatoribus, qui ſuas pecunias aut otioſas relinquere, aut certè non admodum exercere, deniq; ſuam in illis exercendis operam coniungere non ſolent, trientes duntaxat uſuras permiſit: l. eos qui, 26. §. 1. C.h.t. cùm olim Alexandri conſtitutione Senatorib. ſemiſſes tantùm permitteren-

terentur:ut Lampridius teſtatur.idemq; poſtea Arcadij, Honorij, & Theodoſij conſtitutionib. ſancitum fuit, l. 4. C. Th. de uſur. atq; hunc eundem trientis modũ Iuſtinian. ſeruari etiam iubet in pecunia agricolis credita: Nou. 32. & ſeq. Negotiatorib. aũt & mercatorib. qui plerunq; ſuas pecunias exercere, & operã atq; induſtriã in illis exercendis adhibere ſolent, beſsẽ permittit: quod in Nou. 136. eò produxit, ut etiãſi nihil nominatim de eo modo conuenerat, tamen ipſo iure beſſes uſuræ ipſis deberentur: quod in alijs contrà obſeruatur. Nam uſurarum pactio ſine certo & definito modo nullius mométi eſt: l. quod in ſtipulatione, 31. ꝟ. h. t. Cæteris autem omnibus perſonis ſemiſſes conſtituit, quę fiſco etiam ipſo iure debentur, l. ult. C. de fiſc. uſur. l. cum quidam, 17. §. ſi debitores. ꝟ. h. t. Itemq; ciuitatibus, l. ſeptilia. ꝟ. de pollicit. De pupillaribus uſuris aliud iuris eſt. Nam ſecundum moré regionis interdum ſemiſſes, interdum quincunces, interdum trientes eſſe ſolent. l. 2. C. de uſur. pup. l. 7. §. pecuniæ. & §. quæ ſint autem. D. de admin. tut. l. ſi poſtea. D. rem pup. ſal. Certis autem caſibus uſuræ pupillares etiam antiquo iure uſq; ad centeſimam excurrebant: ueluti ſi tutor negauit Prætori, ſe pecuniam ad alendum pupillum habere; ſi pupillis ad onera ſua expedienda ſub ijſdem uſuris pecuniã accipiendi

neceſsitatem impoſuit, cùm apud ſe pecuniam eſſe inficiatus eſſet: ſi pupilli pecuniam clàm in uſus ſuos conuerterit, ſi à debitoribus pupillarib. eam uſuram exegerint, ſi deponere pecuniam in prædiorum comparationem iuſsi, id facere neglexerint. d.l.7.§. ſi deponi. & ſeqq.§§. & l. non exiſtimo, 49. D. de admin.tut. Caſus autem, quibus Iuſtiniani inſtituto Centeſima permittitur, tres numerari poſſunt: quorum primus eſt in pecunia traiectitia, de qua prox. tit. differemus. Alter eſt in frugibus mutuò datis: nam cùm pretium frugum incertum ſit, & pro temporum ac locorũ uarietate plerunq; uariari ſoleat, ac nonnunquam quæ contractus tempore ſunt utiliſsimæ, ſolutionis tempore cariſsimæ ſunt, antiquo iure earũ fœnerationi modus præſtitus fuerat: l. oleo, 23. C. h.t. Primus Imp. Conſtantinus quaternas ferè centeſimas definijt: ueluti, ut pro duob. frumẽti modijs, tres redderentur: pro decẽ, quindecim: pro centum, centum & quinquaginta: l.1.C. Th.h.t. Iuſtinianus autem fœnerationi frugũ centeſimæ modum impoſuit: l. eos qui, 26. §. 2. C.h.t. Quare probandum eſt cap. 52. ſynodi Pariſienſis, Ludouici regis & Lotharij filij tempore habitæ, in quo ſcriptum ita eſt: Putant quidã, uſuram tantùm eſſe in pecunia, quod præuidens ſcriptura omnis rei aufert ſuperabundantiã, ut plus nõ recipias, quàm dediſti.

dediſti. Solet in agris frumenti, & milij, uini, & olei, cęterarumq́; ſpecierũ uſura exigi ſine (ut appellat Sermo diuinus) ſuperabundantia, uerbi gratia: ut hyemis tempore demus decẽ modios, & in meſſe recipiamus 15. hoc eſt amplius q̃ partem mediam, qui iuſtiſsimum ſe putauerit, quartá plus accipiet portionem. & ſolent argumẽtari & dicere: Dedi unum modium, qui ſatus fecit decim modios: nónne iuſtum eſt, ut medium modium de meo plus accipiam, cùm ille mea liberalitate nouem & ſemis de meo habeat. Nolite errare (inquit Apoſtolus) Deus nõ irridetur. hæc illa Synodus. Quod uerò aliquanto antè de pecuniæ mutuo ſcriptum eſt, ſanè abſurdum uidetur. quo loco fœneratorẽ ita loquentẽ inducunt: Quot modò denarijs poſſum modium frumenti mei uendere, aut tot denarios tempore fructus noui mihi redde: (qua pactione magis fœnerator læditur quã debitor) aut certè eorũ pretiũ in frumento, uino, & cęteris quibuslibet alijs frugibus ad plenũ ſupple (qua in pactione quid uitupetandum ſit, nõ uideo) unde euenire ſolet, ut pro uno frumẽti modio taliter mutuato, tres aut certè quatuor modij à pauperib. tempore meſsis uiolenter exigũtur. Tertius centeſimæ caſus eſt in uſuris rei iudicatæ. nã cùm olim poſt iuſtos dies, qui iudicatis dabantur, binæ centeſimæ ſoluerẽtur, Iuſtinian. tantũ

præſtituit,l.2.C.de uſur. rei iudicat. Ac de legitimo quidem uſurarum modo à Iuſtiniano Imperatore inſtituto, dictum uidetur ſatis. Deinceps Legis ſanctio uidẽda eſt. Nam antiquiſsimo iure, hoc eſt, 12. tab. ſi quis ultra legitimum modum fœneraretur, quadrupli damnabatur: ut Cato lib. 1. de re ruſt. teſtatur: idq; ius uſque ad Theodoſium Imp. durauit: l.2. C.Th.de uſur. Vnde Quadruplatores Pædiano dicti, qui fœneratores ob fœnus illicitum quadrupli damnabant. Poſtea conſtitutum eſt, ne utile per inutile uitietur, & eo quod ultra legitimum modum adiectũ fuit, quaſi ſuperfluo detracto, legitimus modus ſeruetur. l.placuit,29.l.uſuras,20.l.pecuniæ,9.D.h.t.l. ſi pro mutua,8.C.ſi cert.pet. Infamiæ tamen, qui modum excedunt, damnantur, l.improbum, 20. C. ex quib. cauſſ. infam. quod uerò ſupra legitimum modum exactum eſt, ſorti imputatur, nõ tantùm nouo iure, d.l.eos qui.§.ult. C.h.t. uerum etiam antiquo, l. ſi non ſortem, 26. D. de cond. indeb. Hactenus de priore uſurarum modo dictum eſt: deinceps de ſecundo uideamus. Ergo alter uſurarũ modus, ut iam antea diximus, ad earum finẽ pertinet. Finis autem eſt duplum ſortis, hoc eſt, alterum tantum, quantum eſt in ſorte. nam ubi uſuræ ſortem adæquarunt, conſtitutum eſt, ut deſinant & conſiſtant, l.ſi non ſortem, 26.§.1.D. de cond.

indeb.

indeb.l.uſuræ,10.C.h. t. Legis æquitas uidetur eſſe, primùm, ne debitores multiplicandis uſuris obruerentur: deinde,quia cùm uſuræ etiam à fœneratoribus prætextu & colore eius quod Intereſt,exigãtur,ad eius modum coercendæ uidebantur. Modus autem eius quod communiter,non ſingulariter Intereſt,ferè ad duplũ reuocatur,l. cùm & fortè,44. D. de act. empt.l.ſi tibi,25. C.de euict. l.ſi fratres,7. C. com.utr.iud. Et hoc ius uetus de duplo uſurarum Iuſtinianus confirmans,addidit eo amplius,ne pignora uel hypothecas eo nomine retinere liceret:cùm id (inquit)legib. antiquis permitteretur.l.pen. C.h.t. quod eo magis notandũ eſt, quoniam in alijs uſuris illicitis nihil pignorum retentio proderat,l.4.j.tit. prox.l.pretij,19.C.man. Sed quemadmodum duplum illud intelligendũ ſit,magnæ quæſtionis eſt. Nam Imp. quidem Antoninus, opinor, Eliogabalus in l.10.C.h.t.reſcribit,eas demum uſuras ad dupli computationẽ prodeſſe, quæ ſimul cum ſorte ſoluuntur, non autem quæ per partes antea ſolutæ ſunt. Quod eiuſmodi ſit, neq; olim adoleſcens,neq;nunc ſenior & exercitatior factus, ſatis aſſequi coniectura potui. Primùm enim ſatis conſtat, uſuras per illa tempora quot menſibus exigi ſolitas:ut ſuo loco ſup.expoſuimus:neq; fœneratores niſi aut perrarò, aut anatociſmi cauſſa ea beni-

gnitate uſos, ut in longinquū tempus earum exactionē differrēt. Deinde ꝙ abſurdū eſſet, meliore cōditione acerbū exactorem eſſe, ꝙ benignū dilatorem? & rurſus ex contrario, deteriore cōditione eſſe diligentē in ſoluendo, ꝙ tardum & moratorē? contra l. ſi bene, 33. D. h. t. l. in compenſationē, 8. D. de cōpenſ. Præterea Paul. lib. Sent. 2. tit. de uſur. ita ſcribit: Vſuræ ſupra centeſimā ſolutæ ſortē minuunt, & cōſumpta ſorte repeti poſſunt. quē locum nō de ex ſuperato legitimarū uſurarū modo intelligendū, ſed rectiſsimè ab Aniano de duplo interpretatū fuiſſe, oſtendit: primùm alter. §. his uerbis: Vſurę, quę centeſimā excedunt, per errorē ſolutæ repeti poſſunt. Neq;. n. ueriſimile eſt, Paulū ſub eod. tit. prę ſertim tam anguſto, eandem ſententiā totidem propè uerbis inculcare uoluiſſe. Deinde ꝗ Paulus ait, Supra centeſimam, ſic accipiendum eſt, ſupra centeſimā penſionem: alioqui dixiſſet, ſupra cēteſimas, uel maiores cēteſimis: ut alibi perſępe: quod tamē de uſura centeſima exemplí tantū cauſſa, dictū eſt à Paulo, propterea ꝙ uſitata, & propè quotidiana uſura erat: ut ſup. demonſtratum eſt. Quare de ſemiſſe uſura dicendum fuiſſet, ultra ducenteſimam penſionem. Huc accedit, quòd ęquiſsima legis antiquę interpretatio illa eſt, ut cùm in hanc ferè formulam cōcepta eſſet: Ne de uſuris ultra duplum exigendis,

dis,ius diceretur: ſi quid amplius ſolutũ eſſet,in ſortem imputaretur,aut ſi prius ſoluta ſors fuiſſet,repeteretur: quod Vlp. oſtendit in l.ſi non ſortem,26.§.1.D.de cond.indeb.& & Paulus illo eodẽ loco, his uerbis: Et conſumpta ſorte repeti poſſunt. ubi tamẽ Completa corrigendũ arbitrarer,id eſt,perſoluta. Quinetiam magnum in hanc ſententiam argumentum præbet l. 1.C.de pig. act. quæ nuper ex Græcis libris reſtituta eſt: quæ iubet fructus à creditore gratuitæ pecuniæ perceptos in ſortem imputari: &,ſi ſortẽ ęquarint, tam ſortis, quàm uſurarũ obligationẽ exſtinguere. Quid enim ſi fœnebris pecunia ſit, & ἀντιχρήσεις contracta? an nõ fructus,qui quotannis ſuis temporib. percipiuntur, ubi ſortẽ æquarunt, eodẽ modo in ſortẽ imputabuntur. Poſtremò cùm eadẽ illa lex de duplo etiã apud Aegyptios & Aſiaticos obſeruaretur: cui ueriſimile eſt, locũ apud illas gentes illi abſurdæ Elagabali interpretationi relictum fuiſſe? Diod. lib.2. τοὺς μετὰ συγγραφῆς δανείσαντας ἐκώλυε διὰ τοῦ τόκου τὸ κεφάλαιον πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. Plutarch. in Lucul. τοὺς μακροτέρους τοῦ ἀρχαίου τόκους ἀπέκοψε. Tantùm tamen Imp. Elagabali auctoritas ualuit, poſteaquam in Codicem cõſtitutionũ relata eſt: ut eo iure paſsim uteretur. Sed eius iniquitatis Iuſtinian. admonitus, per Nouel. 121. & 138. & 160. eã abrogauit. Adhuc de utroq; uſurarũ modo ſatis diſputatum

tum

tum uidetur: nunc conſequens eſt, ut duos tractatus huic diſputationi cōſentaneos ſubiungamus; quorum prior eſt de Antichreſi: alter de Redituum emptione. Eſt autem Antichreſis conuentio, ut creditor pecuniæ numeratæ pro uſuris fructus rei ſibi pigneratæ percipiat: l. ſi is qui, 11. §. 1. D. in quib. cauſ. pig. Dixi, Creditor pecuniæ numeratæ: ut frugũ creditorem remoueam: ſicut in l. cùm nõ frumẽtum, 16. C. h. t. nam hic propter incertum & inconſtans frugum pretium multo fœnerabilior eſt: l. oleo, 23. C. eod. niſi fortè in legis fraudẽ creditæ fruges fuiſſent, ut his diſtractis debitor pecunia uteretur: uelut in l. itẽ ſi, 7. §. mutui. D. ad Macedon. Vera igitur Antichreſis eſt, cùm propter mutuum pecuniæ creditor ex fundo pignerato fruges percipit: l. ſi ea lege, 17. C. h. t. aut in domo pignerata inhabitat: l. ſi ſeruus, 6. C. quod cum eo qui in alien. Hæc autẽ à fœneratione diſcrepat: primùm, quòd fœneratio (ut ſup. dictum eſt) ſtipulatione cõtrahitur Antichreſis nudo pacto: d. l. ſi is qui, §. 1. illa ſub Mutui ſolius contractum ſubiungitur, hæc ſub contractũ mutui & pignoris: qua de cauſſa Pignus interdum impropriè appellatur: ut in l. ſi pecuniam, 33. D. de pig. act. illa non niſi oblatione ſimul & depoſitione perimitur: l. 6. l. acceptam, 19. C. h. t. hęc ſola ſortis oblatione: quaſi creditor per oblationem malę fidei poſſeſ-
ſor

ſor conſtituatur:l.ex prædijs, 11. C.h.t. Sed in Antichreſi, an legitimus uſurarum modus ſeruandus ſit, magna quæſtio eſt. Nam me quoq;, propter receptam in ſcholis opinionem, fateor, perquádiu in ea opinione fuiſſe: ut Antichreſis legibus ijs ſoluta eſſet, quæ certum uſuris modum impoſuerũt: propter l. ſi ea lege, 17. C.h.t. ubi Imp. uetat reſcindi Antichreſim prætextu maioris emolumenti percepti, quàm legitimus uſurarum modus ferret, & rationem ſubiungit: propter incertum fructuum prouentum. Sed poſtea re diutius quæſita & explorata, comperi cum illa opinione pugnare textum in l. 8. D. in quibus cauſſ. pig. ubi Paulus ait: Cùm debitor gratuita pecunia non utitur (ſic enim cũ negotiatione legendum eſſe iampridem docuimus) poteſt creditor de fructibus rei ſibi pigneratæ ad modum legitimum uſuras retinere: quod idem Papin. ſtatuit in l. 1. §.pacto.D.de pign. Et profectò ita eſt, ut iniquiſſimum uideatur, tantam in fructibus legum fraudem diſsimulare, quaſi lex de modo uſurarum ad fructus, qui uice uſurarum exiguntur, non pertineat, cũ in pœnis fraus illa tam diligenter coerceatur, ut ſuprà abundè demonſtratum eſt. Quare, quod de prætextu maioris emolumenti dicitur in d. l. ſi ea lege, prorſus ita interpretandũ arbitror: primùm, quaſi non immenſus exceſſus fuerit, ſed is, qui

qui in locatione toleratur. l. & ideò, 23. D. locat. deinde ut unius anni ubertas cum alterius anni ſterilitate compenſetur, l. ex conducto, 15. §. 2. & §. 3. D. loc. Idq; perſpicuè confirmatur in l. ſi ea pactione, 14. C. de uſur. ubi creditori habitatio pro uſuris conceſſa erat: & diſtinctio adhibetur, utrum ipſe ex locatis ædibus mercedes in pecunia perceperat, an eas ipſe inhabitaſſet: quorũ in utroq; Antichreſim conſiſtere declarat l. ſi is qui, 11. §. 1. D. de pign. neq; nouum eſt, ut locationum penſiones in fructibus numerẽtur: l. mercedes, 29. D. de hered. petit. Ergo ſi ex locatione mercedes percepit, Imp. ſtatuit, legitimũ uſurarum modum ad amuſsim ſeruandũ eſſe: ſi ipſe inhabitauit, parui exceſſus rationẽ habendam nõ eſſe, non magis ꝙ in locationib. d. l. & ideò, D. loc. Vtcunq; ſit, Imp. Iuſtinian. ea conuentione Antichreſis obligari agricolas uetuit: Nou. 32. & ſeqq. nimirum propter ſummã fraudandę legis opportunitatẽ. Itáq; in ſynodo Pariſienſi habita, regnante Lothario, ſcriptũ ita eſt: Sunt crudeliſsimi fœneratores, qui tempore neceſsitatis nihil cõmodare pauperib. uolunt, niſi meſſellas ſuas & uineolas, & pratella ea ratione in pignus dederint, ut quidquid frugum in hiſce colligi potuerit, pro paruo, quod mutuum acceperint, ex aſſe amittant. hęc illi: Plutarchus aũt in Luculli uita ſcribit, eum, cùm in Aſia Pro-

præto-

prætor eſſet, edixiſſe, ne plus quàm quartam fructuum partem ex oppigneratis debitoris fundis exigere liceret. ἔταξε (inquit Plutarch.) τῶν τοῦ χρεοφειλέτου προσόδων τὴν τετάρτην μερίδα παρ' αὐτοῦ τὸν δανειστὴν. Sequitur iam, ut de uſitata redituum emptione diſſeramus, de qua duorũ Paparum leges exſtãt in c.1. & c.2. Extrau. de de empt. & uend. Eius aũt conuentionis uariæ ſunt ſpecies. Ac noſtri quidẽ pragmatici bipartitã Redituum diuiſionẽ faciunt: ut alij ſint Fundiarij, alij Volatiles. Fundiarios appellãt, penſiones quantũuis exiguas ijs fundis impoſitas, qui tenuib. hominib. ad colendum dati ſunt ea lege, ut illis penſiunculis beneficij ſui auctorẽ agnoſcant: qui Libellarius contractus in libris Feudorum appellatur. Itaq; interdũ aliquot denarioli, interdũ etiam par caponum, aut gallinarũ, eius beneficij teſtificãdi cauſſa præſtatur. Volatiles autem appellãt, anniuerſarias penſiones certæ pecuniæ, quæ ꝑ fructu ſortis uniuerſis debitoris bonis impoſitæ ſunt. Veluti, ut pro denis quinis aureis unus quotannis pendatur. Etq̃uis Reditus nomen à Canoniſtis in hac conuentione uſurpetur pro frugib. & ꝓuentu pecuniæ, quæ redigitur ex locatione prędiorũ: l. liberto, 21. D. de ann. legat. l. fundi, 38. D. de uſuf. leg. tamẽ non incommodè etiam de pecunia dici poteſt: ut in l. alumnæ, 30. D. de adim. leg. ac præſertim ex Nouell. 160.

ex

ex qua ſuſpicari licet, Reditū pecuniæ propriè uſurpari ſolitum cum annua, ut in prædiorum mercede præſtatio eſt: cùm uſura (ut iam ſæpe dictum eſt) menſtrua eſſe ſoleret. Sed huius cōuentionis diuiſio ſubtilius exponendā eſt. Interdum enim conuenit, ut Redituum prſtatio ſit temporalis, & redimi quandocunq; poſsit. Rurſus interdum certo prędio imponitur, interdum uniuerſis bonis, interdum perſonę: de quib. ſingulis breuiter differemus. Nam eius quidē, quæ frequentiſsimè uſurpatur, hæc conditio eſt: ut, qui pecuniam accipit, fundum ei, à quo pecuniam accipit, fruendum det ea lege, ut ſibi ſuiſq; perpetuò eūndem fundū, reddita pecunia, redimere liceat, & fundus eius periculo ſit. Quatuor enim eius ſubſtantialia notantur: ut qui pecuniā accipit, de ea reddenda non obligetur: qui fundū accipit, ad eum recuperata pecunia, reddendum obligetur: ut reditus non excedat duodecimam ſortis partem annuam: poſtremò ut fundus emptoris periculo ſit: d. c. 1. & c. 2. extrauag. de empt. & uend. Primùm igitur conſiderandū eſt, quodnam hoc ſit cōtractus genus. nam quod uideo inter Doctores & Pragmaticos omnes Germanos, Gallos, Italos conuenire, hanc eſſe uenditionem cum pacto redimendi: nondum ſatis intelligere potui. Valere quidem illud pactum conſtat, pretioq;

reddi-

reddito nihilominus penes emptorem fructum manere: l.2. C.de pact. int.empt. l.ſi uir uxori,13.D.de præſc. uerb. l. qui fundum, 75. D.de cont.empt. Sed nō uideo, quemadmodum hęc conuentio, uel fundi, uel fructuum uenditio dici poſsit. De fundo cauſſæ ſunt complures. quarum prima hęc eſt, quoniam ſapiens legiſlator ſtatuit, ut ea prædia, ex quib. annui cēſus prȩſtantur, pro ipſius cenſus annui ex ſolutione in perpetuum illi obligati eſſent. Hęc enim illius uerba ſunt in d. c.1. Item in cap.2. Prædictorum ſolutione redituum & cenſuū efficaciter obligantes: at nemo rei ſuæ pignus cōtrahere intelligitur, l. neq; pignus, 45.D.de reg.iur.l.non ſolum. §.ſi rem tuam.ȷ.de uſurp. quare non eidē poteſt & empta & oppignerata res eſſe. Secunda hæc eſt: quoniam uenditio & emptio ſine concurrente alienandi & acquirendi domini uoluntate nō contrahitur: l.ſerui,16. D.de peric.& commod. l.ſi ſtipuler, 35. §.ult. D. de uerb.oblig. at in hac conuentione, & qui pecuniam accipit, id agit, ne fundi dominium ab ſe alienet, quæ intentio emptionis cōtractum impedit: l.pen. §.ult.D. de contr.empt. & cùm traditio, quæ fit in emptione & uenditione, rei dominiū, quod penes uenditorē fuit, in emptorem trāsferat: l.traditionis, 20. D.de adq. rer. dom. ea traditio, quæ in hoc contractu fit, neq; dominium, neq; dominij

cauſſam trãsfert, cùm (ut iam dixi) id agatur, ne transferatur. Tertia cauſſa eſt, quia cùm emptio & uenditio fundi cõtracta eſt, ſi numerato pretio res non tradatur, ex empto actio in id quod intereſt, cõpetit: ſi re tradita pretium non ſoluatur, per actionem ex uendito uſurę petũtur: l. 1. l. Iulianus, 13. §. ex uendito. D. de act. empt. at ex hac conuentione non competit actio niſi ab una parte, ut pecunia, ab altera, ut fundus reddatur. Quarta eſt, quòd cùm emptio contracta eſt, ſi res iudicio euicta ſit, uenditor aut duplam, aut pretium cũ eo quod emptoris interfuit, præſtaſtare cogitur: l. 6. l. ſi in uēditione, 60. l. euicta, 70. D. de euict. at in actionem ex hoc contractu nihil horũ uenit. Quinta & potiſsima ratio eſt: quia cũ emptio & uenditio ſine pretio non contrahatur, in hac conuentione nõ ſoli, non prædij, non proprietatis, ſed ſolius acceſsionis, ac ne omnis quidem, ſed unius tantùm, æſtimatio fit: nimirum fructuum, & prouentus annui. Etſi autem recepta in uulgus opinio eſt, prędiorum pretium ex uiginti, aut uiginti quinq;, aut ad ſummum, triginta annorum prouentu æſtimari: ut quantam ſummã tot annorum prouentus ſemel conficit, tanti prędium æſtimetur. tamen eam cũ Iuriſconſultis antiquis incognitã, tum ab æquitate alienam eſſe arbitror. Nam prædiorum pretia non tantũ ex reditus ratione, ſed

etiam

etiam ex iuribus & alijs qualitatib. æſtimantur: ut appellantur in l.quid aliud, 86. D. de uer. fug.) Cùm enim eorum alia ſint libera, alia ſeruitutem debeant; quædam immunia ſint, quędá uectigalia, quis neſcit, multo maius illorũ eſſe pretium, quàm aliorum? Præterea cùm alia ſint urbana, alia ruſtica, quis ignorat, illa ſumptuoſiora eſſe; & maioribus quàm hæc incommodis obnoxia? l. uerum, 11.§.ſed hęc res.D.de minor.Rurſus alia ſunt ſuburbana, quæ ſoli uoluptati ſeruiunt: alia longinquiora, quę ſoli fructui & rei familiari parãtur: l.urbana, 198. D.de uerb. ſign. alia præterea fontium, & riuorum, & circumluuionum opportunitatem habent: quædá ſuperiora ſunt, quædam inferiora, in quę ex illis pinguedo terrę decurrit: l.1.§.ult.D.de aq. & aq. pluu. arc. alia fluminibus propinqua ſunt; quib. nauigare, & fruges in oppida deportari commodiſsimè poſſunt: quędá propter maiorũ ſepulcra & alia monimẽta magno ęſtimãntur, l.ſi in emptione, 35.D.de minor. l.libertus, 36.D.de bon. libert. aut quòd alijs emptoris prædijs finitima ſunt, l. ſi cui fundus, 34. D. de leg.2. aut quòd amœnitatẽ aut ſalubritatem habent, cùm alia ſint ſaxoſa, paluſtria, peſtilentia; l.cõpetit, 16. D.quod ui aut cl. l.ſi fundus, 13. D. de reb. eor. qui ſub tut. aut quod diligenter culta & ornata ſunt; l.3.§.Diui fratres.D.de iur fiſc.deniq; ut Imp.

loquitur, non tantùm ex uirib. ſed etiam ex meritis prædia æſtimantur, l.quiſquis, 15. C. de reſc.uend. neq; tantùm ex fructuũ quantitate, ſed etiam ex prædiorum qualitate & conditione, l.ſeq. eod.tit. eaq; de re pręclara exſtat Plinij epiſtola lib. 3. cuius initium eſt: Adſumo, &c. ſimillimaq; mihi prædiorũ & ſeruorum æſtimãdorum ratio uidetur. nam horum pretia non ex ſolis operis & earũ locatione, ſed interdum ex alijs cauſsis multò magis æſtimantur: ueluti ex doctrina & literis, ex ætate, forma, ingenio, artificio: l.3. C. commun.de leg. l.1.C.de com.ſeru.man. interdũ etiam ex affectione: ut ſi pater, filiusúe naturalis ſit, aut collactaneus: l.ſi domus, 71. §. qui cõfitetur.D. de leg.1.l.pretia, 63. ad leg. Falcid.l.ſi ſeruum, 33.ad leg.Aquil.l. cùm ſeruus, 54.D.mand. Quæ cùm ita ſint, nihil me mouet l.ſi fundum, 92.D.de leg.1.ubi dicitur, heres quidam emiſſe fundum excuſſo pretio ſecundũ reditum eius fundi. primùm, quia ſpecies illa ſingularis eſt eius fundi, qui nullis alijs meritis, quàm ſolo prouentu cenſebatur: deinde, quia cùm quatuor illa poſtrema uerba nihil ad Iuliani propoſitum pertineant, ac planè ſuperuacanea ſint, probabile eſt ea ex gloſſa interpretis, & quidem imperiti, in cõtextum irrepſiſſe. Multò minus me monet l.ſi fundus, 13.D.de reb. eor. ubi Imp. ſcribit, fundum pupilli pro fructuum modo pretium

pretium inuēturum: imò uerò nullus locus eſt ad noſtram ſententiam ac diſputationem accõmodatior. nam cùm tutores állegarent, fundum eſſe ſaxoſum & peſtilentẽ: Imp. ijs reſpondit: ut non alijs ex ſuis meritis & iuribus, at certè ex fructib. & prouentu pretium reperturum. Id enim ualere uocem Vtique, innumeris ex locis conſtat. Minus etiã huc pertinet, quod de uſura triente dicitur in l. 3. §. ult. D. ad leg. Falc. ut de quindecim, uiginti & triginta annorum reditu in l. in computatione. eod. tit. & l. ſi quis argentum. §. ſin autem. C. de donat. quoniam in illis locis non fundi & proprietatis, ſed tantùm fructuũ & redituum aliquot annorũ æſtimatio fit, eaq́; ualde incerta, & tanquã aleatoria. Ex quib. ita diſputatis, perſpicuum eſſe arbitror, nullam in hac conuentione prædiorum & proprietatis emptionem ac uenditionẽ contrahi. Reſtat, ut de Reditibus uideamus: quandoquidem conuentio hęc paſsim à Canoniſtis, & qui Canoniſtas imitati ſunt, Redituũ emptio appellatur, nõ minus imperitè, meo iudicio, quàm abſurdè. Nam etſi fructuũ futurorum emptio rectè cõtrahitur: l. nec emptio, 8. D. de cont. empt. tamen cùm emptio contracta reſoluitur (ut in hac conuentione iuris eſt) & res inempta fit, quod utrinq; datum acceptumq́; eſt, utrinq; redditur: ſicut in lege cõmiſſoria. Nam ut emptor rem red-

dit,ita uenditor ex aduerſo pretium reſtituit, l 5.D.de leg.commiſſ. At in hac conuentione cùm emptio cōtracta reſoluitur, pretium quidem ab eo qui accipit,reſtituitur:fructus autem apud eum qui percepit, quanticunq; fuerint,permanent. Atque hæc quidem de prima & uſitata huius conuentionis formula dicta ſint. Deinceps de cæteris uideamus. ac primum de ea quæ perpetua eſt, neq; redimi unquam ſine partium conſenſu poteſt: quæ,meo iudicio,à iuris noſtri ratione & ciuili æquitate abhorret. Nam ſi perſonę,hoc eſt, ei qui pecuniam accepit, eiusq; heredibus impoſita eſt, libertati hominis contraria eſt,cuius cauſſa cōſtitutum eſt: ut ſicuti certi ſunt contrahendarum obligationum modi, ita certi ſint earundem diſſoluendarum modi. Nam, ut Paulus ait: quod certis modis alicui deberi cœpit, id certis modis deſinitur,deberi:l.obligatioum, 44.D. de obl.& act. Sin autem annua illa præſtatio ex certo prædio promiſſa eſt; tamen aut perſonalis nihilominus manet obligatio, neq; prædio impoſita eſt: l. ult. §.1. & l.qui fundum, 75.D. de cont.empt. l.2 §.ſi heres. D.ad Treb. l.ult. C.de donat. aut ſi prædio ipſi impoſita eſt, tamen certis caſibus exſtinguatur oportet, ne inutilis perpetuò proprietas maneat: ut de uſu & uſufr. dicitur in l. 3. §. 2. D. de uſufr. Neq; quidquam ad hunc locum canon em-

phyteu-

phyteuticarius pertinet, qui interdum perpetuò debetur, propterea quòd in emphyteuſi fundus datur ab eo, cui canon ſoluitur: at in his conuentionibus fundus ab eo ipſo datur, qui præſtatione fungitur. Nihilò magis huc pecret tinanon publicus ſiue Intributio, quæ prædijs imponi ſolet: l. Imperatores, 7. D. de publ. l. ſi ſterilis, 21. §. 9. l. in uenditione, 41. D. de act. empt. quia neq; propter datum pretium imponitur: & alia reipublicæ cauſſa eſt, alia priuatorum: l. 2. C. de Debit. ciuit. Concludendum igitur arbitror, Reditus iſtos ſiue fundiarios, ſiue uolatiles, poſteriorib. ſeculis, quibus uſurarũ nomẽ propter Chriſtianorum Conciliorũ auctoritatẽ odio erat, in ueterum uſurarum locũ excogitatos fuiſſe, neq; inter ipſos & uſuras quid quam præter nomen intereſſe. Quid enim refert, utrum dicamus, unum pro uiginti, an quinq; pro centum, quæ dextans uſura eſt. Quanquam in hoc quidẽ differunt, quòd fœnus erat menſtruũ, reditus præſtatio eſt annua. In fœnore ratio reuocatur ad numerũ centum: & ex eo ſingulæ penſiones denominãtur, in reditibus ratio reuocatur ad minores ſummas: ueluti 10. 12. 15. 20. Sed hęc ad ſummã rei, nullius momẽti ſunt, uerisſimeq; pragmatici omnes, ac prętereteros Molinæus, harũ cõuentionũ uerboſiſs. defenſor, reditus iſtos appellat ueterũ uſurarũ ſuccedaneos:

ut ualde ridiculi ſint, qui uſuras improbant, cùm iſtas Reditualcs (ut ita dicam) conuentiones probant. Nam præter ſuperiora uitia etiam illud notandum eſt, quòd etſi nouis iſtis præſtationib. modus imponitur, ueluti ut unus tantùm pro uiginti, aut quindecim, aut ad ſummum, pro duodecim ſoluatur: finis tamen (quem in duplo ſortis eſſe docuimus) nullus imponitur: neq; enim duplicatæ ſortis ratio ulla ducitur, atq; ita contra naturalem & ciuilem æquitatem acceſſio, interdum infinitis partibus maior eſt principali.

## *DE FRVCTIBVS.*

EXpoſita prima Rubricę parte, deinceps ad ſecundam ueniendum eſt: in qua de Fructibus tractatur. Eſt autem Fructus generali nomine, quidquid utilitatis ex quaq; re & propter quamq; rem percipitur, l. item ſi, 9. & l. arbores, 59. D. de uſufr. l. in fruméti, 42. D. de uſuf. leg. Fructus autem alius eſt Naturalis, alius Ciuilis. l. ſi nauis, 62. D. de rei uin. l. uſura, 21. D. de uerb. ſig. Naturalis eſt, qui ex ipſo cuiuſq; rei corpore prouenit: primùm, procreatione: ueluti cum ex pecudibus fœtus naſcitur: itemq; lac, pilus & lana: l. in pecudum, 28. ſ. h. t. l. bonæ fidei, 48. §. ult. D. de adq. rer. dom. §. in pecudum. Inſt. de rer. diu. deinde

deinde operis, & labore corporis: ueluti in iumẽtis, deportando, uehendo, triturando: in ſeruis, quolibet opere faciundo, qui proprio nomine Vſus appellatur, l. plenum, 12. §. 2. D. de uſu & hab. Ancillarum partus placuit in fructibus non numerari: ne homo, cuius gratia fructus natura peperit, ipſe in fructu numeraretur, d. l. in pecudum. l. uetus, 68. D. de uſuf. Itaq; à fructib. & partus, & partuum partus ſeparantur, l. 4. D. h. t. l. ſed & partus, 12. D. quod met. cauſſ. Fructus igitur ſerui aut ancillæ in operis, & miniſterio eſt duntaxat, l. 4. de oper. ſer. Fundi autem naturales, fructus numerantur, non modò qui in ſuperficie naſcuntur: ueluti fruges; ut uinum, frumẽtum, legumina, l. frugum, 77. D. de uerb. ſig. item fœnum, & arundo cædua, & ſylua: l. qui fundum, 40. §. cùm fundum, D. de contr. empt. l. ſi abſente, 48. D. de uſuf. uerum etiam qui intra fundum agnaſcũtur: ueluti lapidicinæ, cretifodinæ, & metallifodinæ: itemq; arena. ſi modò hæc omnia renaſcantur, l. ſi ex lapidicinis, 32. D. de iur. dot. l. item ſi, 9. §. 2. D. de uſuf. l. fructus, 7. §. ſi uir. & l. ſeq. D. ſol. matr. Ciuiles autem fructus dicuntur, qui nõ ex corpore ueniunt, ſed iure percipiuntur: id eſt, negotiatione, ueluti uſura pecuniæ. d. l. 62. de rei uind. l. 21. de uerb. ſig. Verùm hic uerè proprieq́ue Quæſtus potius quàm Fructus appellatur: l. ſi cùm uillico, 16.

D.de inſt.act.l.7.& l.8.D.pro ſoc. Veluti cùm ſerui aut iumenti opera locatur, aut uſus nauis.nam merces habitationis, opera ſerui, uecturę iumentorũ, naula nauium, generali fructuum nomine appellantur:l.mercedes,29. D.de her.pet.l.prædiorũ,36. §.h.t. itemq; cæteræ obuentiones nõ tam fructus dicuntur, quàm fructuum uicẽ obtinere: & ideò à fructib. ſeparátur,l.quod his uerbis, 83. de leg.3. l.uſurę,34.D.h.t.l.cùm ſeruus,39.§.1. de leg.1. l.cùm de modo,11.D.de donat.l.in uenditionẽ,8.§.1.D.de reb.auct.iud.poſſ. In hunc numerũ referre poſſumus etiã aucupia, piſcationes, & uenationes:l.item ſi,9.§.aucupior. l.uſufructuariũ,62.D.de uſufr. Nam cùm ferę beſtiæ neq; ex fundo naſcantur, & iure gentium nõ natura, ſed occupatione adquirantur, tum demũ uenatio fructus fundi numeratur, cùm fundi fructus in uenatione conſiſtit:quod iuris ciuilis inſtitutũ eſt:l.uenationẽ,26.D.h.t. deniq; quæſtus aut reditus fundi uerius hic dicitur ꝙ fructus, l.fundo legato,22.& l.quæſitũ,12.§. ſi in agro. & §. ſeq. D. de inſt.uel inſtr.leg. Multò magis in hoc genere ponemus ea commoda, quę aut ex reb. incorporalib.negotiando, id eſt, contrahendo, ut emendo, locando percipiũtur: aut incorporalia ſunt: ueluti cũ ſeruitutes fructuũ nomine appellamus:l.6.§.1.D.ſi ſer.uin.l.uideamus,19.§.ult.D.h.t.aut cùm uſuras uicem

fructuum

fructũ obtinere dicimus:l.uſuræ, 34. D. h.t. aut cùm fructum numeramus, pignori dare licere:l.ult.§.h.t.l.72.de reg.iur. Itaq; quòd Africanus Vſuram appellat fructũ pecuniæ, in l.qui quadringenta,88.§.ult.D.ad leg.Falc.lepida translatione potius uſus eſſe intelligendus eſt,q̃ uerè proprieq; locutus:cùm uſura quæſtus ſit,ex negotiatione & noua obligatione,nõ ex nummorũ corporib.perceptus. d.l.uſura.D.de uer.ſig. Atq; hæc q̃dem de prima fructuũ diuiſione dicta ſunt, cui ſubdiuiſio ſubiungendus eſt. Naturalium.n.fructuũ alij ſua ſponte naſcũtur:ueluti arborũ baccę, ſyluæ cęduæ: alij hominũ opera:ueluti uinũ, frumentũ, legumina,l.fructus,45.D.h.t. Paleam igitur ad hanc ſpeciem excultorũ fructuum referemus, fœnum uerò ad illã ſuperiorem:quoniã in illo percipiendo, falce tantùm nõ cultura ulla opus eſt: l.pratum,31.D. de uer.ſig. Secunda diuiſio quadripartita eſt: ut alij ſint futuri, alij pendẽtes ſiue ſtãtes, alij percepti,alij qui percipi potuerũt. Futuri ſunt, qui necdũ in rerũ natura ſunt, ſed naſcituri ſperantur:ueluti fruges autumni inſequentis. itẽ,fœtus qui in utero eſt, l.quod in rerum,23.D.de leg.1.§.ea quoq;.7.Inſt.de legat. Pendẽtes dicũtur, qui terræ cohærẽt, q̃ terra adhuc cõtinẽtur,& quaſi pars fundi uidentur: l.pendẽtes,44.D.de rei uin. l.ſi pendẽtes,27.D.de uſuf.l.ſi fraudat,25.§.non ſolũ.

D.quæ

D.quę in fraud.cred. Percepti uerò in domini quidem & coloni,& emphyteutæ, & bonæ fidei poſſeſſoris perſona dicuntur, ſimul atque à ſolo ſeparati ſunt: §. is uerò.Inſtit.de rer.diuiſ.l.qui ſcit.15.§.1.in fin. D.h.t.l. ſi eius, 78.D.de rei uend.l.ſi apes,26.D.de furtis.at in fructuarij perſona tum demum percepti dicuntur,ſi expreſsi ſunt: hoc eſt, cùm tritum frumẽtum,coacta uindemia, oleum factum eſt:l.ſi fructuarius,13.D.quibus mod. Vſuf.amit l.arborib.12.§.Iulian. D.de uſufr. Fructus autem,qui percipi potuerunt, dicũtur,quos diligentiſsimus quiſq; paterfam. bona fide percepturus fuiſſet: ſed poſſeſſoris dolo uel culpa percepti non ſunt:l.ſine herede,32.§.2. D.de admin.tut.l.quidquid,7.C.arbit.tut.l. ſi nauis,62.§.generaliter.D.de rei uind. Tertia diuiſio eſt:ut Fructuũ alij ſint aridi, alij liquidi. Aridi dicuntur à noſtris,qui & meſſes appellantur:l.ult.§.ult.D.de iur.fiſc.l.1.C.Th.de uſur. ueluti frumentum , hordeum, ſiligo,auena,& omnia legumina. Liquidi uerò ſunt qui humore ſunt ita liquido,ut per ſe eſſe ſine uaſi non poſſunt: l.4.D.de pen.leg. quale eſt uinũ,oleum,mel,& ſimilia.atq; hi propriè confundi, illi commiſceri dicuntur: l. adeò.§.uoluntas. D.de acq.rer.dom. §.ſi duorum. & §. quod ſi frumentum , de rer. diuiſ. Quarta eſt,ut alij ſint exſtantes, alij conſumpti: cuius differentię quanta uis ſit,poſterius doce-

docebimus. Quinta eſt, ut alij ſint maturi, alij immaturi: de qua notanda eſt l. ult. §. pen. D. quæ in fraud. credit. Sexta eſt, ut alij ſint ueteres, alij noui ſiue recẽtes. Veteres ſunt, qui præterito anno percepti ſunt: l. ex uſu, 7. & ll. ſeqq. De trit. uin. & ol. leg. l. 3. D. ſi cert. pet. Noui ſunt, qui & hornotini appellãtur. qui hoc anno nati ſunt. Porrò quoniam partitioni hac in tractatione locus nõ eſt, idcircò de Iure fructuũ tantũmodò diſſeremus.

Primum ius de fructib. hac regula cõtinetur: ut cuiuſq; rei fructus ad eum pertineant, primũ, qui eius rei dominus eſt, & pro qua parte dominus eſt, uel certè pro domino habetur: deinde, ad quẽ eius rei periculũ pertinet, & pro qua parte pertinet. Dixi, Qui dominus eſt: ut l. 2. & l. 6. D. de aq. rer. dom. in quo ſoli potius ratio quàm ſeminis habetur. nam fructus non iure ſeminis, ſed iure ſoli percipitur: l. qui ſcit, 25. D. h. t. qua de cauſſa, qui alienum frumentũ in ſuo ſeuit, meſsis dominus eſt, d. l. qui ſcit. §. 1. & qui alienam plantam in ſuo poſuit, eius dominus eſt: l. adeò, 7. §. ult. D. de adq. rer. dom. eodemq; iure, cuius ex equa pullus natus eſt, eius eſt cuius eſt equa, non eius cuius eſt equus, ex quo prægnans facta eſt. l. 5. §. idẽ ſcribit. D. de rei uind. Quod idem de ſeruo & ancilla ſignificatur, in l. plerunque, 10. §. ſi ſeruo. D. de iur. dot. Dixi, Pro qua parte dominus eſt: nam quorum

rum res communis eſt, eorũ quoq; fructus eſt communis, & pro qua parte cõmunis res eſt: quod apparet primùm in cõtracta ſocietate, l. uideamus, 38. §. ſi actionem. D. h. t. l. pro ſocio, 38. §. ult. D. pro ſoc. Nam ſocius, qui ex cõmuni fundo fructus percepit, ea tantùm ex parte ſuos illos facit, ex qua prędij dominus eſt: reliquas præſtare ſocio cogitur: l. qui ſcit, 25. D. h. t. quod idem in alijs communitatibus iuris eſt. nam rei plurib. donatæ aut legatæ, fructus ab uno percepti pro dominij parte reſtituendi ſunt: l. quibus, 34. D. pro ſoc. l. 6. §. 1. & l. in ſumma, 11. D. com. diuid. Idemq; eſt in hereditate plurib. relicta: l. itẽ ex diuerſo, 19. D. fam. erciſc. l. cohęredibus, 17. C. eod. Itaq; fructus ab uno ex coheredibus & poſt & ante litem conteſtatam percepti, ſingulis proportionibus hereditarijs cõmunicandi ſunt, l. & poſt, 12. & l. pen. D. fam. erciſ. In iudicio quoq; finium regũdorũ, fructus poſt litem conteſtatam percepti, præſtandi ſunt: antè percepti, pręſtantur quidem à malæ fidei poſſeſſore: à bonæ uerò fidei poſſeſſore, ſi modò cõſumpti ſunt, nõ præſtantur: l. 4. §. 2. D. fin. regend. deinceps ad regulã redeamus. Dixi, Vel pro domino habetur: quoniam bonæ fid. poſſeſſoris idẽ in percipiendo ius eſt, quod domini: l. qui ſcit, 25. §. 1. D. h. t. quæ tamẽ regula ſic accipienda eſt: primùm, ut fructus exculti & elaborati ſint: h. e. facto

& opera ipſius prouenerint, §. ſi quis à non domino, 26. Inſt. de rer diu. idq; naturali ratione, ut ibidē dicitur: quoniam æquum eſt, eum, qui bona fide impendium fecit, fructū percipere. At ſi fructus ſponte ſua prouenerint, ius cōtrouerſum eſt. nam Pompon. eos bonæ fidei poſſeſſoris eſſe negat: l. fructus, 45. D. h. t. Paulus aūt apertè affirmat in l. in bonæ, 48. D. de adq. rer. dom. Quinetiam in fructib. elaboratis cōtrouerſum ius eſt, quandiu bonę fidei poſſeſſor iudicetur. Nam Iulian. bonā fidē uſq; ad litē cōteſtatā ꝑducit, l. quæſitū, 91. §. ult. D. de leg. 1. l. q ſcit, 25. §. ul. D. h. t. cui cōſentire Imp. uidetur in l. certū, 22. C. de rei uin. Vlpianus uerò tantū uſq; ad ſcientiā rei alienæ: l. qui bona, 23. D. de adq. rer. dom. quo cum Africanus conſentit in l. quæſitū, 40. eod. tit. & Imperator in l. ſi fundum, 17. C. eod. Præterea regula illa ſic intelligenda eſt, ut fructus illi non ſint exſtantes, ſed & percepti & conſumpti. alioqui uel rei uindicatione petentur, uel in rei uindicationem uenient officio iudicis: l. 4. §. lana. D. de uſurpat. l. quæſitum, 40. in fi. D. de adq. rer. dom. & d. §. ſi quis à nō domino. de rer. diu. Neq; obſtat quod dicitur in l. in pecudū, 28. D. h. t. fructus ſtatim atq; percepti ſunt, bonæ fidei poſſeſſoris fieri pleno iure: idcircò. n. hoc additur, ut intelligatur, nō requiri uſucapionē, quę plenum ius tribuat: l. Iulian. 17. in fi. D. de

rei uind. Sed ſi & percepti & cõſumpti ſint, eius fiunt: nam perceptio fructuum acquiſitionem inchoat, conſumptio perficit atque conciliat. d. l. 4. §. lana. Atq; hęc quidé de b. f. poſſeſſore.] At malæ fidei poſſeſſor fructus omnes, cuiuſcunq; generis ſint, reſtituere cogitur, & perceptos, & percipiendos, & exſtantes, & conſumptos, & ſiue locupletior factus ſit, ſiue non: ut de rei uindicatione dicitur, l. fructus, 33. l. ſi nauis, 62. §. generaliter. D. de rei uind. l. domum, 5. l. certũ, 22. C. eod. & de hereditatis petitione, in l. illud, 40. §. prædo. l. cũ hereditas, 56. l. ſed etſi, 25. §. quod autem. D. de her. pet. idq; ſiue titulũ habeat, ſiue non: l. 1. C. de fid. & iur. haſt. fiſc. lib. 10. l. ait prætor, 10. §. per hác. D. quę in fraud. cred. Cùm autem bonæ fidei poſſeſſor poſt litem conteſtatam malæ fidei poſſeſſor fiat: d. l. ſed etſi. §. ſi ante litem. D. de her. pet. ſequitur, ut quantum ad fructus poſt litem conteſtatam natos, nulla inter bonæ & malæ fid. poſſeſſorem differentia ſit: nam uterq; illos reſtituere cogitur, ſiue percepti ſunt, ſiue percipi potuerunt, l. 1. C. de hered. pet. d. l. ſed etſi. §. ſi ante litem. D. eod. ne lucrum faciat poſſeſſor ex ea re, quæ in lite eſſe cœperat, ut ait l. Iulianus, 17. §. ult. D. de rei uin. ſed ante litem conteſtatam differentia eſt. nam conuento malæ fidei poſſeſſore, fructus omnes, cuiuſcunq; generis ſint, ęſtimantur: ut paulò antè

dictum

dictum eſt: & confirmatur per l. fructus, 45. D. h. t. at b. f. poſſeſſor eatenus tantùm fructus ante litem cõteſtatam perceptos, reſtituere cogitur, quatenus ex ijs locupletior factus eſt, l. illud, 40. §. prædo. D. de her. pet. Percipiendi uerò fructus non ueniunt in æſtimatione: quia cùm b. f. poſſeſſor eſſet, exiſtimauit, licere ſibi in ſua re negligentẽ eſſe: l. 1. C. de pet. her. l. item ueniunt, 20. §. eos autem. D. eod. Deinceps ad regulam redeamus: in qua diximus, Cuiuſq; rei fructus ad eũ pertinere, cuius ea res periculo eſt: quod ex b. f. contractib. primũ intelligitur. Generaliter enim fructus in bonæ fidei iudicijs omnino præſtandi ſunt: id eſt, ſiue mora interuènerit, ſiue non: & ſiue lis conteſtata ſit, ſiue nõ: l. uideamus, 38. §. pen. D. h. t. Ergo ut emptione & uenditione perfecta, periculum cõfeſtim ad emptorem tranſit: ita fructus ad éum pertinent, quamuis nec res tradita, nec pretium ſolutum ſit: l. fructus, 13. l. pen. C. de act. emp. l. Iulianus, 13. §. ſi quid ſeruo. D. eod. l. 1. C. de peric. & commod. Quòd ſi moram uenditor in tradendo fecerit, etiam eos præſtabit, qui percipi potuerunt: l. ſi ſterilis, 21. §. cùm per uenditorem. l. ſi ea res, 31. D. de act. empt. Quinetiam fructus cõtractus tempore pendentes emptori præſtandi ſunt: quippe, qui fundi pars ſunt: l. fructus, 44. D. de rei uind. l. qui pendentem, 25. D. de act. empt. In per-

mutationē idem iuris eſt. nam quemadmodum periculum rei nōdum traditæ ad eum, qui ſuam tradidit, pertinet: l. 5. in fi. pr. D. de præſc. uerb. ita fructus eius ad eum quoque pertinere debet: ut eadem ſit periculi, quæ commodi ratio: l. ſecundum, 10. D. de reg. iur. Idē præterea in locatione & cōductione ius eſt: ut ad quem periculum, ad eundē fructus pertineant. nam ſi prędia urbana ſint, ut fortuiti incendij caſus ad dominum ſpectat: ita mercedes habitationis lucratur: l. 9. §. 1. D. loc. ſi ruſtica ſunt, ſiquidem colonus partiarius eſt, pro rata parte & periculum, & emolumentum communicatur: l. 2. §. uis maior. D. eod. ſin numis colit, tum omne periculū & emolumentum ad eum pertinet, niſi ſit immodicū & intolerabile: ſin mercenarius eſt, tum ex cōtrario & periculum, & emolumentum omne ad locatorē ſpectat: l. ex conducto, 15. §. 1. & §§. ſequentib. D. eod. l. licet, 8. l. damnum, 12. l. excepto, 18. C. eod. Similiter in commodato, cùm rei cōmodatę periculū ſine commodatarij culpa contingens ad dominum pertineat, l. 1. §. commod. etiam eius & fructus & quęſtus ei reſtituendi ſunt: l. uideamus, 38. §. ſi poſſeſsionem. D. de uſur. l. is qui, 13. §. 1. D. cōmod. Item in depoſito: nam ut rei depoſitę damnum, ſine depoſitarij culpa contingens ad dominum pertinet: l. 1. C. depoſ. ſic fructus & partus cum re depoſita reſti-

reſtituendi ſunt: l. 1. §. hanc actionem, 17. D. depoſ. & d. l. uideamus. §. ſi poſſeſsionem. D. h. t. Idem iuris eſt in pignore. nam ut rei pigneratæ periculum fatale ad debitorē, qui eius dominus eſt, pertinet: l. 8. C. de pig. act. ita fructus ex ea percepti à creditore, qui gratuitam pecuniam credidit, ei in ſolutum imputantur, & ſortis debitum exonerant, minuunt, extenuant: l. 1. l. 2. l. 3. l. ult. C. de pign. act. l. 1. C. de diſt. pig. quod ſi fœnebre fuit creditum, prius in uſuras, deinde in ſortem fructus imputantur: l. 2. C. de part. pign. l. 2. C. de uſur. Idem quoque in Mandato iuris eſt. Nam ut mandatū negotium mandatoris periculo geritur: l. ſi uerò, 12. §. ſi quis mandauerit. & §. ſeq. D. mand. ita fructus quos ex eo mandatarius percepit, ei reſtituendi ſunt: l. idemque, 10. §. 1. & §. idem Labeo. D. eod. Eadem quoq; negotiorum geſtorum ratio eſt: l. 2. & l. 3. §. hæc uerba. D. de neg. geſt. Itemq; tutelæ & curæ: l. ſine herede, 32. §. Modeſtinus. D. de admin. tut. l. quicquid, 7. C. arbit. tut. atq; hæc quidem de bonæ fidei iudicijs. In ſtrictis uerò, quæ certa & recepta ſit iuris ratio, difficile dictu eſt. Nam à Pomp. & Paulo apertiſsimè Papinianus diſſentit: idq; ingenui omnes tū ueteres, tum recētiores interpretes fatētur. Nām qui ſtipulāti fundū dari, uacuamq; poſſeſsionē tradi promiſit, Pompon. & Paul. negāt eū fructus debere. l. 3. § 1.

D.de act.empt. l.ſi filius, 78. §.ult. D.de uerb. oblig. Amplius adiungit Paulus, ut ne poſt moram quidem ſimplicẽ debeantur: id eſt, ſine litis conteſtatione, l.uideamus, 38. §.ſi actionẽ. D. h. t. Et ratio perſpicua eſt, propter ſtrictam ſtipulationis formulam & quantitatem, cui iudex ſeruire debet: l.2. §. nunc de officio. D.de eo quod cer.loc. l.quidquid. D. de uerb.oblig. qua de cauſſa nec uſuræ in ſtipulatu ex mora debentur. At Papin. contrarium apertiſsimè ſtatuit, & affirmat poſſe dici etiam fructus præſtari: l.4. D.h.t. cuius ſententiæ rationem, ſiquidem mora commiſſa nõ eſt, hanc fuiſſe arbitror: quod rei promiſſæ periculum ante moram pertinet ad ſtipulatorem: l. ſi ex legato, 23. D.de uer.oblig. Eſt autem regula iuris, ut cuius periculo res eſt, ei fructuoſa ſit: l.is qui, 13. §.1. D.cõmod. Quid igitur ſi mora commiſſa ſit? quo caſu ſine dubio periculum ad debitorem pertinet. Itaq; hoc caſu Paulus apertè negat fructus deberi: d.l.uideamus. §.ſi actionem. Quinetiam ſi per litis conteſtationem mora contracta ſit, Proculiani deberi fructus negabant, ſummũ uidelicet ſtrictumq; ius ſtipulationis urgentes. At Sabiniani ex æquitate (inquit Paul.) cõtrà diſputarũt: quorũ ſententia prævaluit, ut Papin.quoq; affirmat in l.2. D.h.t. quaſi æquiſsimum ſit, actori præſtari id omne, quod litis conteſtatæ tempore habiturus fuiſſet:

quod

quod etiam ſecutus eſt Paulus in l. cùm fundus,31. D.de reb.cred. l.ſi homo,8. D.de re iudic. atq; hæc quidem de ſtipulatione. Actionis autem ex teſtamento diſsimilis ratio eſt. nam etſi ſtricti & ipſa iuris ſit, tamen quia legata bonæ fidei contractib. ferè cõparantur, idcircò fructus poſt teſtatoris mortem obuenientes, poſt moram in prętando ab herede cõmiſſam, legatario debetur, nõ modò quos percepit, ſed & quos percipere potuit: l. cũ ſeruus,39. §.fructus. l.ult. D. de legat.1. C. de uſ.&fruc.leg.qui l.uſumf.36.§.ult. D.de uſuf.

Sequitur tertia pars Rubricæ, quæ eſt de cauſſa. quod uerbum cùm uarium ſit ac multiplex, tũ in hac Rub. modò generaliter, modò ſpecialiter uſurpatur. Nam generaliter Cauſſa eſt Ius: id eſt, conditio & qualitas cuiusq; rei, ſiue in comodo & utilitate, ſiue in incommodo, onere & uitio aliquo conſiſtat: ut cùm Caius ſcribit, in rei uindicatione non tantùm corpus ipſius rei reſtitui, uerũ etiam eius rei cauſſam: hoc eſt (inquit) ut omne habeat petitor, quod habiturus foret, ſi eo tempore, quo iudicium accipiebatur, reſtitutus illi homo fuiſſet: ueluti partus ancillæ: l. præterea,20. D. de rei uin. Item Paul. Cùm quid per condictionem petitur, cauſſa omnis reſtituenda eſt: hoc eſt, omne quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtatę tempore reſtitutum fuiſſet: l. cùm fundus,31. D. ſi cert. pet. &

l.2.D.h.t.l. reſtituere,35. l.ult. ʃ.ult.D. de uerb. ſig. Ex quibus intelligitur, cauſſam cuiuſq; rei ab auctoribus noſtris appellari omne id, cuius res quæq; cauſſa eſt uel efficiés, uel ſine qua nõ: ueluti fructus, & partus, & fœtus, & partuũ partus: item fœtuũ fœtus. Ex contrario, cauſſa interdum pro onere, & incommodo uſurpatur, ut cùm dicimus: Quamq; rem cum ſua cauſſa tranſire: id eſt, quo iure, quaq; conditione eſt: ueluti ſi fundus ſeruitutẽ debeat, uel pignori ſit obligatus, & alicui uendatur, cum illis qualitatib. in emptorem tranſit: l. alienatio, 67. D. de contr. emp. l. ſi debitor, 12. D. de diſtr. pig. Specialiter autem cauſſa ſub hoc titulo uſurpatur pro reliqua omni utilitate præter fructus, quæ per cauſſam rei cuiusque accedit: ac tum à fructu, & partu, & fœtu ſeparatur: uelut in l. ſed & partus, l. itẽ ſi, 14. ʃ. quadruplatur. D. quod met. cauſſ. l. 1. ʃ. hanc actionem. D. depoſ. l. reſtituere, 35. D. de uerb. ſig. l. qui reſtituere, 68. D. de rei uindic. cuiuſmodi eſt uſucapiendi conditio: d. l. reſtituere, 35. & ʃ. ſi ad exhibendum, 4. Inſt. de off. iud. Item fœtus ſecundus, aut partus ſecundus: l. equis, 8. D. h. t. De cauſſa igitur ſummatim unica hęc regula tradenda eſt: Vt quod ius de fructibus, idem de cauſſa eſſe intelligatur: quandoquidem, ut antea diximus, Cauſſæ appellatione plerunq; fructus continentur.

Quarta Rubricæ pars, quæ de Acceſsionibus, genere ſuo ſuperiores quidē omnes ſpecies complectitur. nam Acceſsionis nomine etiam Vſura cōprehenditur: l.frumēti, 12. C. de uſur. ſed cùm ad extremum poſita ſit, ad eas ſolas reſtringenda eſt, quæ ſuperſunt: qua de cauſſa à fructibus & partu ſeparantur: l.quod ſi nolit, 31. §. penul.D. de ædil. ed. Itemque ab uſuris: l. illud ſciendum, 29. §.ult.D.eod. quo in genere eſt Alluuio. nam cùm fundus aliquis reſtituendus eſt, etiam quæ pars per alluuionem fundo acceſsit, reſtituenda eſſe dicitur: l.idem eſt, 34.D.de rei uind. Item Vſusfructus, qui fortè proprietati accreuit: l. quòd ſi nolit, 31. §. 2. D. de ædil. ed. Item peculium, quod ſeruus adquiſiuit: §. ſi peculium.eadem l. In quo ne illud quidem prętermittendum eſt, Acceſsionis nomen propriè hoc loco ad eas reſtringi, quæ natura proueniunt, & quaſi ad rem principalem iam antè debitam accreſcunt, non quæ in diſponendo acceſsionis locum obtinent: ut in uenditione fundi, cùm ſeruus aliquis, aut eius peculium, aut aliquot dolia accedunt: l. 1. §. item ſi quis. D. de ædil. ed. l. ſi in emptione, 34. D. de contr. empt. l. ſi quis cum, 26. D. de act. empt. aut aliquid ſacri religioſiúe: l. hanc legem, 22. & ll. ſequentib. D. de contrahendis emptionibus. aut aqua, iterúe ad aquam: l. qui fundum,

40.§.1.eod..In quibus & ſimilib. hoc ius ſeruatur: ut cũ acceſsiones illæ pars uenditionis ſint,l. quod ſi nolit,31.§.ult.D.de ædil. ed. & ob eam cauſſam integræ omnes præſtandæ ſint.d.l.ſi quis cum. & l. proinde,33.D.de ædil. ed. tamen euictionis nomine non duplum,ſed ſimplum debeatur: l. ex empto,11. §.ſi quis rem.D. de act.empt.l.euicta,16.D.de euict. Sic in legatis partus ancillę legatæ acceſsio appellatur,l.ſi ancillas,63.D. de leg.1. Item legato uino uaſa minora: l.3. §.1. D. de trit.uin. & ol.leg.deniq; legatis liquidis,frugib.uaſa quib. continẽtur:l.4. D. de pen. leg. legato auro argentóue,aut gemmis id,quod ornandi cauſſa adhibetur:l. cùm aurum,19.§. perueniamus.D.de aur. & arg.leg.Porrò Acceſsionis nomine potiſsimũ Id, quod intereſt, ſiue Quanti intereſt, contineri uidetur: præſertim cùm id plerunq; pluris ſit,quàm ipſum rei corpus:l.1.D.de act.empt. l.ſicut,12. C.eod.l.ſi fundus,33.D.loc. l.ſciendum,29.§. 1.D.de ædil. ed.l.ſi uendidero,80. D. de furt. l. euicta,70.D.de euict,l.1.§.conſiderandum.D. de tut.& rat.diſt.act. Eſt autẽ id quod Intereſt, æſtimatio damni per aduerſarij culpam illati,aut utilitatis amiſſæ, quæ quidem in re aut circa rem fuerit. Dixi, Aeſtimatio: ut in l. qui autem,12.§.1.D.ſi quis caut.quoniã Quanti intereſt, culpã ab aduerſario cõmiſſam nõ eſſe,iudex auditis partium allegationib.æſtimare

mare,ſiue cōputare ſolet: l.3. C.de inut. ſtip. qua de cauſſa hæc Litis æſtimatio plerunq; dicitur: ut l.5.§.1.D. cōmod. l. ſi fideiuſſor, 30. D.depoſ.l.ſi Kalendis,11.D.de re iud.interdū etiam Computatio: l.liberum,9. D. de relig. §.illud.Inſt.de off.iud.l.un.C. de ſent. quæ ꝓ eo quod int. Deinde cùm id quod intereſt duobus modis æſtimetur,interdū per Iuſiurandum actoris,interdum Officio iudicis: illa ſpecies propriè Iuſiurandum in litem appellatur: de qua ſub tit. de in lit.iur.dictū eſt: hæc uerò generis nomen ſuum efficit: l.ſemper,15.§.hoc interdictū. D. quod ui aut clam. l.ei qui furti,9.D.de furt. ubi Litis æſtimatio hæc appellatur: nimirum, quæ iudicis fidei & æquitati permittatur: cùm id quod intereſt,interdum tanti ſit,quanti res eſt, neq; rei æſtimationē excedat: ac tum rei pretium, & id quod intereſt,idē ſunt: l.ſi uendidero, 80. D.de furt.l.1.C.de his qui à nō dom.manum. Interdum pluris,ut ſup.diximus, interdum etiā minoris: l. Iulianus, 9. §. ult. D.ad exhib. & l.6.D. de ui arm. Dixi, Damni illati: ueluti cùm res commodata deterior redditur. Nam quod intereſt,hoc appellatur: l.3.§.1. D. commod. appellatur etiam Id quod abeſt: l.ſi cōmiſſa,13.D. rem rat.hab. Neq; ad rem ipſam æſtimandam hæc iudicis taxatio adhibetur, ſed ad litem,hoc eſt,damnum illatum,aut utilitatem interuerſam: quapropter etiam in

pecunia, ueluti in nummis depoſitis, & per dolum non redditis, hæc æſtimatio adhibetur: non propter corpora nummorum, quæ in æſtimationem nō cadunt, ſed propter damnum, actori per aduerſarij dolum illatum. l.3. D. de in lit. iur. Addidi autem, Et utilitatis amiſſæ: quoniam detrimentum allatum, & amiſſa utilitas diſcrimē illud facit in re familiari, inter conditionem quæ nunc eſt, & eam quę futura erat: ex quo Quanti intereſt, ficta locutio. Qua de cauſſa Id quod Intereſt, & Amiſſa utilitas, pro eodem uſurpantur: ut l. pen. D. ſi quis caut. l. proinde, 22. iuncta l. ſeq. D. ad l. Aquil. l. 4. §. 1. D. fin. reg. ſed eius demum utilitatis ratio habetur, quę circa rem eſt, non eius quæ eſt extra rem: ut in l. Iulianus, 9. §. ult. & l. pen. D. ad exhib. Lucri uerò & compendij ceſſantis ratio, regulariter in eo quod intereſt, æſtimando nō habetur: l. 2. D. rem rat. hab. Itaq; in quibuſdam caſibus, ijsque perpaucis & admodum raris habetur, ueluti in pecunia traiectitia, cuius hoc ſingulare ius eſt: l. 2. §. ult. D. quod cert. loc. Sed harum rerū exempla quædam proponenda ſunt. Ergo ſi res uendita poſt uenditoris moram pluris eſſe cœperit, amiſſi quidem illius emolumenti ratio habebitur, quod in re eſt: at eius lucri, quod emptor ex negotiatione facere potuiſſet: quoniam eſt extra rē, & partim in hominis induſtria,

partim

partim in fortuna poſitum eſt, ratio non habebitur: l. ſi ſterilis, 21. §. cùm per uenditorem. & l. Titius, 43. D. de act. empt. quod idem in emptore locum habet, ſi per eum mora facta ſit, quominus uenditor rei ab ſe uenditæ & traditæ pretium haberet, l. ult. D. de pericul. & commod. Eodemq; modo in locatione & conductione colonus, cui frui aut perfrui ſua conductione non licet, utilitatem, quam ex re & circa rem; id eſt, ex locatione fundi percepturus fuerat, conſequitur; l. 7. l. 8. l. in quo, 18. l. ſi in lege, 24. §. colonus. D. locat. Nam hoc compendium circa rem ipſam cõſiſtit; at quod negotiando & uendendis fructibus facere potuit, quoniam extra rem eſt, non conſequetur. Similiter, occiſo ſeruo, in eo quod intereſt computando, hoc eſt, in lite æſtimanda, nõ modò ſerui pretium ueniet, uerum etiam cauſſæ corpori cohærentes: ueluti ſi Comœdus aut Symphoniacus fuit, quanti cæteri depretiati ſint: l. ait lex, 21. in fi. & l. ſeq. D. ad leg. Aquil. aut ſi ſeruus heres inſtitutus fuerat, necdum iuſſu meo hereditatem adierat, & eam mihi adquiſierat. nam etiam hereditatis amiſſæ ratio habebitur. Itemque ſi quæſtio habenda, aut res per eum probanda eſſet: l. 6. D. de ui arm. l. inde Neratius, 23. D. ad leg. Aq. §. illud. Inſt. eod. Eorũ uerò, quę poſtea

poſtea per ſeruũ quæſiturus fuerat, quoniã extra rem ſunt, ratio nõ habebitur. quod eodem modo in legatis obſeruatur: ſi legatario fideicommiſſum poſt certam diem iniunctum eſt. Nam poſt diem & legatã pecuniã, & medij temporis uſuras præſtabit: lucrum uerò, quod negotiando interea ex illa pecunia fecerit, non præſtabit. l. Imperator, 70. §. 1. D. de legat. 2. Neq; ſententiæ illi, quam ſuperius poſuimus, aduerſatur, quod ait Imp. in fi. l. 1. C. de ſent. quæ pro eo. Veteres etiam ex lucro ceſſante id, quod intereſt, ſtatuiſſe. Et Paulus in l. ſi commiſſa, 13. D. rem rat. hab. Id quod intereſt, nõ tantùm in eo quod mihi abeſt, uerũ etiam quod lucrari potui, conſiſtere. Nam Lucri nomine eam demum intelligunt utilitatem, quæ circa rem eſt, non autem compendium, quod extrinſecus accidere potuit: l. 2. D. ill. tit. Dixi, Per aduerſarij culpam: nam ubi dolus aut cõtumacia interuenit, tum actoris iureiurando lis ęſtimatur: qua de re ſub Tit. de in lit. iuran. copiosè dictum eſt. ſin autem ſola culpa interuenit, tum ſolius iudicis officio arbitrioq; lis æſtimatur: ut Baſil. lib. 22. tit. 6. ἀπὸ ῥαθυμίας ὧν ἐπάγεται ὁ ἐν δίκῃ ὅρκος, ἀλλ' ὁ δικαστὴς ποιεῖται τὴν ἀποτίμησιν. Porrò cùm hęc aduerſarij culpa per iſtã iudicis æſtimationẽ coerceatur, idcircò hæc Pœna nominatur: l. un. C. de ſent. quę pro eo quod int. & l. ult. D. de eo quod. cert. loc.

Proxi-

Proximum eſt, ut quid noui iuris de eo, quod Intereſt, taxando Iuſtinianus cōſtituerit, uideamus: quod expoſuit in l. 1. C. de ſen. quæ pro eo quod int. cuius duo ſunt capita: Prius eſt, ut in caſibus certis duplum excedere non liceat. Caſus autem certos definit, quorum certa quantitas & natura eſt: ut in omnibus (inquit) contractib. Quod ænigma, qui interpretari potuerit, uidi adhuc neminem. Nam quod certam naturam aut quantitatem quidam definiunt, certam pecuniæ ſummā, certumúe corpus: ut in omnib. contractibus plerunq; intercedit certa pecunia, certaúe res: ualde alienum eſt. quid enim? ſi uitioſo uaſe à uietore uendito pretioſa quædam infuſa materia corrumpatur, an non & de certo rei corpore agetur, & abſurdum erit, uietorem tantummodò in duplū, quanti uas fuerit, damnari? Itaq; idem Iuſtinianus ius uetus in Pandectis reliquit, ut in damnū integrum uietor teneatur: l. ſed addes, 19. §. 1. D. loc. l. tenetur, 6. §. ſi uas. D. de act. empt. Similiter cùm faber tignum uitioſum uendidit quo ædes fulcirem, & ædes propterea corruerint, an non & certum tigni corpus certi pretij in iudicium ueniet, & abſurdū erit fabrum tantūmodò in duplum, quanti tignū illud fuerit, damnari? imò uerò in totum damnum tenebitur: quod eodē modo de morboſa pecude, cuius contagione grex omnis perierit,

perierit, traditur in l. Iulianus, 13. D. de act. empt. Sequitur alterum noui iuris caput, ut in caſibus incertis iudex id ſolum damnum, de quo re cognita conſtiterit, compenſari iubeat: neq; uanis litigatorum allegationibus aures præbeat: quaſi uerò non hoc ius antiquum, uulgare & translatitium ſit, ut l. 3. C. de inut. ſup. ut examinatis partium allegationibus, quanti conſtiterit intereſſe, iudex concludat. Nam quod de incertis caſibus quidam hoc interpretantur, in quibus neq; certa ſumma, neq; certum corpus petitur, ſed incertum quiddam: ueluti poſſeſſio, nihilo probabilius uidetur. nam ſiue poſſeſsio, quæ incerta eſt, ſiue fundus ipſe, qui certus eſt, petatur: tamen non in duplum, non denique pluris iudex reum damnabit, quàm quanti actor ſua intereſſe probauerit. Incerti autem caſus exemplum ſumendum eſſet potius ex l. argentarius, 10. §. 2. D. de edend. ubi argentarius, qui rationes non edidit, quam ob cauſſam litigator damnatus eſt, tanti teneri dicitur, quanti litigator damnatus fuit. Quòd ſi ulla conſtitutionis illius admittenda interpretatio eſt: nulla meo iudicio probabilior uidetur, quàm illa Martini Coſiæ in l. quatenus, 24. D. de reg. iur. ut ęſtimatio eius, quod ſingulariter intereſt, duplum eius quod communiter intereſt, nō excedat: niſi caſus alius aliud inducat. quod

tamen

tamen multo ſubtilius & acutius à Martino excogitatum, ne dicam, diuinatum, quàm ad Latinam Iuſtiniani conſtitutionem accommodatum uidetur. Singulariter autem intereſſe dicimus, ueluti cùm fundus non traditur, qui maiorum emptoris fuerat. l. ſi in emptionem, 35. D. de minorib. & in quæ maiorum ſepulcra ſunt. l. libertus, 36. D. de bon. libert. aut ſi ſeruus filius naturalis fuit emptoris, aut denique ex ſimili quadam affectione pretium creſcat: d. l. libertus. quod tamen multis caſibus non admittitur: l. ſi ſeruum. D. ad l. Aquil. l. pretia, 63. D. ad leg. Falcid.

## DE MORA.

SVpereſt quinta Rubricæ pars, quæ eſt de Mora. Eſt autem Mora culpa debitoris in non ſoluendo debito, uel creditoris in non recipiendo. Ea fit duobus modis: in perſonam, & in rem. In perſonam fit, per interpellationem: hoc eſt, cùm teſtatò denuntiatur debitori ut ſoluat, aut creditori ut accipiat. nam illius denuntiationis contemptus, Mora & fruſtratio appellatur: l. mora, 32. l. 3. §. ult. D. h. t. appellatur etiam Dilatio,

l. ſcien-

l.ſciendum,21.D.h.t. In re autem uel in rem mora committitur, cùm re ipſa ſine interpellatione ſola tarditate committitur: l.3. C. in quib.cauſſ.reſt.neceſſ. l.5. D. de minor.l.cùm uerò,26.§.1.D.de fid.lib.ueluti die ad ſoluendum præſtituta:quo caſu dies(ut uulgò dicitur)interpellat pro homine: ut cùm ad diem ſub pœna pecunia promiſſa eſt:l.ad diem,76. D.de uerb. oblig.l.traiectitiæ,23.D.de obl. & act.l.magnam,12.C.de cont. ſtipul. Similiter etiam ſine diei adiectione mora cõmittitur, ueluti cùm nõ exſtat qui conueniatur: l. ſed etſi,23.in fi.D.h.t.aut cùm quis malę fidei poſſeſſor eſt,ſiue rei mobilis:ut l.ult.C.de cond. ob turp.cauſſ.l.ult. & l.ult. & l.8.§.1.D.de con. furt.l.1.§.deniq;.& l.pen. D. und. ui. ſiue immobilis: ut in l.ſed etſi, 25. §. quod ait. D.de pet.her.l.ſin autem,§.ſi homo. D.de rei uind. aut cùm libertas fidei commiſſa eſt: l.cùm uerò,26.§.1.D.de fid.lib. aut cũ ſtipulatio ita concepta eſt, neq; per te, neq; per heredẽ tuum fieri:l.cùm filius fa.49.§. pen.D. de uerb. obl. aut cùm minori legatũ aliquod aut fideicommiſſum relictũ eſt: d.l.3. C.in quib.cauſſ.reſt. & l.Titia,87.§.1.D.de leg.2. Cæterùm quando mora facta ſit,non iuris, ſed facti quæſtio eſſe dicitur, ut ad iudicem potius, quàm ad Iuriſconſultũ referatur,l.mora,32.D.h.t. Nã etſi plerunq; mora in perſonã, quàm in rem fit:(ut apud Paul.lib.Sent.3.Mora,inquit,fieri ui-

rituſdetur, cùm poſtulanti non datur ) tamen non quæuis interpellatio moram facit: quin ne unum quidem eius olim ius fuit. nam antiquitus teſtatò denuntiationem fieri oportebat, cum interminatione iudicij: l. 7. D. de inoff. teſt. l. debitores, 10. C. de pignorib. quin etiam præter interpellationẽ inſtantia & flagitatione opus erat: l. mora, 32. D. h. t. deinde conſtitutum fuit, ut eæ denuntiationes actis publicis cõſignarentur: neue ubi manifeſtũ erat debitum, aut chirographarium, neceſſariæ eſſent: l. 2. l. 3. C. Th. de nunt. poſtea ex uſu & conſuetudine forenſi ſolennes illæ teſtificationes magna ex parte ſublatæ fuerũt: §. appellantur. de action. Retentæ tamen ad debitorem in mora cõſtituendum uidentur, ex d. l. mora, & multis ſimil. Neq; uerò pluribus interpellationib. opus eſt. nam ſemel moram factam ſatis eſt: hoc eſt, unica interpellatione cum inſtantia eſt opus: l. Titia, 87. §. 1. D. de legat. 2. quamuis interdum ex abundanti plures teſtatò denuntiationes fiebãt: ut in ſpecie l. qui Romæ, 122. §. coheredes. D. de uerb. obl. ſed quæ ex abundanti fiunt, ius non faciunt. l. teſtamentum, 17. C. de teſtam. Moræ autẽ effectus primus ac ſummus eſt, ut producat ac perpetuet obligationem: l. ſi ſeruum, 91. §. ſequitur. D. de uerb. obl. cuius regulæ hæc uis eſt, ut cùm rei peremptæ neque petitio, neq; fideiuſsio, neq; acceptila-

latio, neq; nouatio ualeat; tamen ſi res moratoris facto perempta ſit, ualeat. Itaq; ſi ſeruus moratoris facto interierit, nihilominus peti iudicio poterit: ſed condemnatio fiet in æſtimationem: d.l. ſi ſeruum. §.ult. & l. promiſſor hominis, 23. D. de conſt. pec. idq; non tantùm in actionibus ex ſtipulatu, uerumetiam ex legati cauſſa locum habet: l. ſi ex legati, 23. D. de uerb. obl. At ſi res fato ſuo, id eſt naturaliter perierit, ueluti ſi ſeruus ſua morte perierit, aut fundus chaſmate abſumptus ſit, eo caſu controuerſum ius inter Sabinianos & Proculianos fuit. Nam Sabiniani naturalem hunc interitum ad creditorem pertinere, atq; abſoluendum eſſe debitorē cenſebant: hac de cauſſa (ut Caius ſcribit) quoniam non mora, ſed natura interitum illum attulit: neque minus res apud creditorem, quàm apud debitorem interitum fuiſſet: l. ſi plures, 14. §. ult. D. depoſ. Proculiani uerò diſtinguebant, utrum creditor confeſtim rem uenditurus fuiſſet, ueluti ſi uenalitiarius fuiſſet, an non. Nam ſi uenditurus fuiſſet, interitum illum ad debitorem pertinere: propterea quod apud creditorē interitura non fuerat: pretium enim ipſius habiturus fuiſſet: quod ne haberet, per debitoris culpam factū eſt. Sin aūt res etiam apud creditorem interitura fuerat, eius eſſe periculum ſtatuebant. Proculianorum ſententia præualuit. nam &

in ſti-

in ſtipulationibus, & in legatis rei interitum
ad debitorem pertinere Vlp. ait in l. cùm ſer-
uus, 39. §. 1. & l. cùm res, 47. §. ult. D. de leg. 1.
Quinetiam in ſtipulationib. indiſtinctè Pro-
culianorũ ſententiã probat in l. nemo, 82. §.
ult. D. de uerb. oblig. Itemq; Paul. in l. is qui,
45. D. de obl. & act. & Pomp. in l. ſi Stichus, 33.
D. de uerb. obl. quinetiã in creditore, qui mo-
ram in accipiendo fecit, idem Paulus ſtatuit
in l. ſi is qui Stichum, 56. D. de iur. dot. In peti-
torijs iudicijs eadem Sabinianorũ & Procu
lianorũ diſſenſio uerſata eſt, ut teſtatur Vlp.
in l. illud quoq;, 40. D. de her. pet. nam et ſi a-
ctor rem cõtinuò diſtracturus fuerat, tamen
Sabiniani poſſeſſorẽ abſoluebant: Proculia-
ni damnabãt. Vlp. uerò illorũ ſententiam in
bonæ fidei poſſeſſore probat: Proculianorũ
uerò in perſona malæ fidei poſſeſſoris; non
tantũ in hereditatis petitione: d. l. illud quo-
que, uerũetiam in actione ad exhibendum: i-
temq; in rei ſingularis uindicatione: l. de eo,
12. §. ſi poſt. D. ad exhib. l. itẽ ſi. §. ult. D. de rei
uin. Sed ab alijs malę fidei poſſeſſorib. diſtin
guendi ſunt fures, prędones, abactores, & ij
qui metũ intulerũt. nam cùm hi nõ tantũ in
mora, uerũetiam in maleficio ſint, quocunq;
modo res perierit, ſiue facto ipſorũ, ſiue ſuo
fato: & ſiue diſtracturus eã dominus fuerat,
ſiue nõ, omnimodò damnãtur: l. ult. D. cond.
furt. l. 1. §. rectiſs. l. itẽ ſi cũ, 14. §. quid ſi homo,

D. quod met. cauſ. Secundus moræ effectus eſt, ut in bonæ fidei iudicijs uſurarũ curſum uel excitet, uel ſiſtat. nam debitor ex mora uſuras præſtare cogitur, l. mora, 32. §. in bonæ. D. h. t. Vtrum autem mora in rem ſufficiat, an uerò in perſonam eſſe oporteat, controuerſum ius inter Iuriſcõſultos fuit: ut ſub tit. de Vſuris demonſtrauimus. Creditor autem ſi moram in accipiendo fecerit, quamuis fœnerator ſit, ac proinde ſtrictũ iudicium ſit, tamen uſuras ex tempore moræ amittit: l. 7. D. h. t. l. 6. l. 9. l. acceptam, 19. C. eod. l. ult. C. de pign. act. Tertius eſt, ut fructus rei principalis debeantur, l. equis, 8. & l. reſpondit, 14. D. h. t. Poſtremò ſciendum eſt, moram ſemel admiſſam purgari, hoc eſt, deleri, exſtingui, emendari ſummo iure non poſſe: ex ęquo & bono poſſe, d. l. ſi ſeruum. §. ſequitur. de uer. oblig. Purgatur autem primùm oblatione: cùm debitor ante litem conteſtatam id pręſtat, uel paratus eſt præſtare, in quo pręſtando moram admiſerat. creditor autem in recipiendo moratur: ſed oblatio perſeuerantium requirit: l. ſi ita quis, 135. §. Seia. l. qui Romæ, 122. §. Seia. D. de uerb. obl. l. 3. §. ult. D. de act. empt. ſed (ut dixi) ante litem cõteſtatam offerri oportet. nam cùm iam conceptũ eſt agi in id quod intereſt, ſera tardaque oblatio eſt: neq; res integra eſt: l. ſi inſula. l. 84. de uer. obl. l. ſed etſi, 17. D. de pecun. cõſtit. quinimò ſi ex

ſi ex mora, etiam ante litem conteſtatam, aliquid damni creditor perceperit, res integra non eſt: d. l. ſi ita quis. §. Seia. l. quid tamẽ, 21. §. ult. & l. ſeq. D. de recept. l. etſi poſt, 8. D. ſi quis caut. eiusq; oblationis primus effectus hic eſt, ut mora reum liberet à damnatione in id, quod intereſt: deinde à periculo, hoc eſt, ut ſi res poſtea perierit, debitor liberetur uel ipſo iure, ſi bonæ fidei iudiciũ eſt, uel per exceptionem, ſi ſtricti iuris eſt: l. qui decem, 72. D. de ſolut. l. ſed etſi, 17. D. de conſt. pec. l. huiuſmodi, 84 §. ſi cui homo. D. de leg. 1. Sabinianorum tamen ſententia etiam in ſtrictis iudicijs ipſo iure liberatur: l. ſtipulatus, 105. de uerb. obl. Quod ſi etiam poſt litem conteſtatam morator id, quod creditoris intereſt, offerat, liberatur: propter ueterem regulam, qua dicitur: Omnia iudicia eſſe abſolutoria. §. ult. D. de perp. & temp. act. Atq; hæc quidem ſiue pura, ſiue in diem concepta obligatio ſit: d. l. 17. de conſt. pec. utrum autem à pœna liberet, diſtinctio adhibẽda eſt. nam ſi pura obligatio adhibẽda eſt, liberat: d. l. qui Romæ, 122. §. Flauius. D. de uerb. obl. l. quid tamen, 21. §. ult. D. de recep. ſin obligatio in diẽ concepta eſt, ſtatim poſt diem ipſo iure pœna committitur: l. 4. §. ult. D. de leg. commiſ. l. traiectitiæ, 23. D. de obl. & act. l. Celſus, 23. D. de recep. Secundus modus purgandę moræ eſt per nouationem: l. ſi Stichum, 8. l.

quoties, 14. D. de nouat. Tertius eſt conditionalis ſtipulatio: l. qui decem, 72. . 1. D. de ſolut. Quartus, ipſa dandi aut faciendi præſtatio, ut ex primo ſatis planè intelligitur.

## AD TIT. II.

## *De Nautico fœnore.*

SVperiore titulo dictum eſt de generibus omnibus uſurarum & fœnerationum, præter unum, quod modò Nauticum, modò Maritimum appellatur: ut in l. 6. §. h. t. & propter eam pecuniam præſtatur, quæ modò Nautica, modò Traiectitia nominatur: cuius quoniam ſingulare ius eſt, idcircò reliquas uſuras omnes Imperator Communes appellat, l. 1. C. h. t. Eſt autem Traiectitia ſiue Nautica pecunia, quæ negotiatori alicui mutuò datur, mare traiecturo: cũ pacto, ut ſalua naui ſors cum fœnore reddatur: naufragio facto, tum & ſors, & ſpes lucri creditori pereat: l. 1. D. h. t. l. 1. C. eod. l. traiectitiæ, 32. D. de obl. & act. Nam etſi ſi Latinæ uocis proprietatem ſpectemus, quemadmodum Traijci uectores dicuntur, qui in aliud litus exponuntur: l. 3. D. de naut. caup. ſtab. eodem modo Traijci pecunia dicitur, quæ trans mare exportatur: l. ſacrilegi, 9. D. ad leg. Iul. pecul. l. tutores, 39. §. pa-

§. patruus. D. de admin. tut. tamen forenſi conſuetudine nõ omnis pecunia, quæ trans mare uehitur, hoc nomine appellatur, ſed ea demum, quæ creditoris periculo tranſmittitur: l. 2. & l. ult. C. h.t. Qua ex definitione intelligitur, quantum inter alias fœnerationes & hanc maritimam interſit. nam in alijs ſors debitoris periculo eſt: l. incendiũ, *11*. C. ſi cert. petat. Huius autem traiectitiæ pecuniæ genera duo ſunt. nã alia creditoris periculo eſt à certo portu uſq; ad certum portum duntaxat: ueluti à Beryto Brenduſium: ſiue ex die certa ad diem certã. alia in omne nauigationis tempus, ſiue ſub conditione, ſi ſalua nauis in eundem, unde ſoluerat, portum reducta ſit. Genus illud Iulius Pollux *ἑτερόπλουν*, hoc *ἀμφοτερόπλουν* appellat. Illius exemplũ eſt in l. *6*. ʃ. h.t. huius uerò in l. qui Romæ, *122*. §. Callimachus. D. de uerb. obl. utriuſq; uerò in l. 4. ʃ. h.t. Nunc partitionem uideamus. Ac de perſonis quidẽ ſic habendũ eſt. Fœnus hoc & à quibuſuis (quib. cõmunes uſuras exercere permiſſum eſt) & aduerſus quoſuis exercere licuiſſe. nam etſi Nauticũ idcirco appellatũ uideri poteſt, quod à nauiculatorib. exercebatur, ſicuti apud Demoſt. in orat. *πρὸς φορμίωνα*, Lamprides nauicularius Phormioni crediſſe narratur, & cùm periti nauigationis eſſent, facilius periculum in ſe recipiebant: tamen etiam à quibuſuis exerceri

poterat, Itaque Plutarch. ſcribit, Catonem Maiorem illud exercere, quæſtumq; ex eo facere ſolitum fuiſſe. In perſonis illud etiam animaduertendum eſt, moris fuiſſe, ut fœnerator ſeruum aliquem libertumúe unà cum debitore mitteret, quem Græci κερμακόλουθον appellant, propterea quod lucrum illud ſectaretur, & ſortem ac fœnus ſua die exigeret, cuius rei exemplum exſtat in d. §. Callimachus. & l. 4. §. 1. j. h. t. adeò ut eius nomina cõpromiſſum faceret: l. 3. §. ſi ſeruus. D. de pecul. De rebus autem illud unum notandum eſt, non modò pecuniam numeratam, uerumetiã merces traiectitiæ pecuniæ nomine contineri, ſi ex creditoris pecunia comparatæ ipſius periculo nauigant: d. l. 1. D. h. t. l. qui Romæ, 122. §. 1. D. de uerb. obl, deinceps de Iure uideamus: quod eſſe quintuplex animaduertimus, primum autem ac ſummum eſt, ut cùm ſors regulariter debitoris periculo eſſe ſoleat: d. l. intendum. C. ſi cert. pet. tamen pecuniæ traiectitiæ periculum fœnerator in ſe recipit, ex eo die, ex quo nauem nauigare conuenit: l. 1. l. 3. D. h. t. Periculum autem id demum regulariter intelligitur, quod ſi naufragio contingit. nam ſi à pyratis hoſtibus, incendioúe acciderit, niſi nominatim aliter conuenerit, ad debitorem pertinet: ſicuti quod ex iactura communi uectorũ conſenſu facta contigit, Eodemq; modo, ſi quid damni

damni debitoris culpa cōtigerit, ueluti cùm merces illicitas exoptaret, quas fiſcus occuparit, periculum illud ad creditorem nō pertinet: l.3. C. h. t. nam eo caſu & merces fiſco committebantur, & nauis, ſi domino ſciente id factum eſſet: l. cotem, 11. §. dominus: D. de publican. Verùm hic exoritur quæſtio: Si fœnerator pluribus nauigatoribus correis crediderit ea lege, ut in pluribus nauibus nauigent: & una ſalua, ſuum ei fœnus & pecunia ſalua ſint. Quam conuentionem idcircò improbatam arbitror, quoniam in fraudem legis Nauticæ contrahitur, ut periculū minuatur: quod quia magnum atq; ingens eſſe lex credebat, tantæ magnitudinis cauſſa, fœnoris quoq; magnitudinem permiſit: ut non ſit dubitandum, quin quo plures naues in eiuſmodi conuentionem adhibētur, quoniam tantò minus periculum efficitur, eò minus illa conuentio probetur. Eamq; arbitror eſſe fœnerationem, quā Cato Maior ſumma cum ſua infamia exercuiſſe dicitur. à Plutar. his uerbis: *ἐχρήσατο δὲ καὶ τῷ διαβεβλημένῳ μάλιστα τῶν δανεισμάτων ἐπὶ ναυτικοῖς: τὸν τρόπον τοῦτον. ἐκέλευε τοὺς δανειζομένους ἐπὶ κοινωνίᾳ πολλοὺς παρακαλεῖν. γενομένων δὲ πεντήκοντα, καὶ πλοίων τοσούτων, αὐτὸς εἶχε μίαν μερίδα διὰ Κουιντίωνος ἀπελευθέρου τοῖς δανειζομένοις συμπραγματευομένου καὶ συμπλέοντος. ἦν δ' οὖν οὐκ εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρὸν, ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις.* Exercebat fœnus

 nauti-

nauticum omnium maximè odioſum & infame, hoc modo: Iubebat eos, qui mutuam accipiebant complures alios in ſocietatem recipere, cùm eſſent quinquaginta, totidémq; naues, unam ipſe partem habebat per Quintionem libertum, qui unà cum debitoribus negotiabatur, & nauigabat: ita cùm ingentia lucra faceret, periculum tamen non totius nauigationis, ſed exiguæ tantùm partis recipiebat. Quibus ex uerbis perſpicuũ eſt, Catonis fœnerationem duab. de cauſsis odioſam atq; inuiſam fuiſſe. primùm, quia tam multas naues adhiberi iubebat, ut difficile factu eſſet, quin aliqua ex ijs appelleret, qua conuentione nullum ferè periculum ſubibat. quanquam tantum numerum à Plutarcho proditum, ſanè miror. Altera odij & uituperationis cauſſa hæc erat, quod cùm illis mercatoribus ſocietatem coibat: atq; ita duplex magnũ lucrum percipiebat: unũ ex ſocietate negotiationis: alterũ ex fœnore. periculum autem, quod fœnerationis nomine totũ ad illum ſpectare oportebat, ita minuerat, ut uix, ac ne uix quidẽ ullũ ſentiret lucrũ ex contrario, ꝙ ſocietatis iure pro quinquageſima tantùm parte conſequi debebat, infinitum ex nautici fœnoris iure percipiebat. Secundum ius & huius pecuniæ proprium eſt, ut propter ingens creditoris periculum, ingens ei fœnus paciſci liceat: atq; adeò iure

antis

antiquo immenſum & infinitũ, ut ait Paul. lib. Sent. 2. tit. 14. Iuſtiniani uerò conſtitutione illa fœnoris infinitas ad modum centeſimæ redacta eſt: l. eos qui, 26. §. pen. C. h. t. & Nouell. 106. & Nou. 110. Neq; id ab æquitate naturali alienũ eſt: cùm ob periculi præſtationem æquiſsima maioris mercedis pactio uideatur: l. qui mercedẽ, 40. l. ſi quis domũ, 9. §. Iulianus. l. itẽ quæritur, 13. §. ſi quemnam. D. locat. & pactum plerunq; pretij pars ſit: l. fundi, 79. D. de con. emp. l. ſi ſterilis, 21. §. pen. D. de act. empt. deniq; non eſt nouũ, ut cuius periculo pecunia credita eſt, eius uſuras ferat: l. idemq;, 10. §. ſi mandauero. D. mandat. l. ſi unus, 67. §. ſi unus. D. pro ſoc. Tertium ius eſt, ut naue ad portum appulſa, diſcuſſoq; periculo pecunia traiectitia eſſe deſinat, & terreſtris eſſe incipiat: h. e. eius cõditionis, cuius terreſtris pecunia eſſe ſolet: primũ, ut debitoris periculo ſit: deinde, ſi morã in ſoluendo admittat, ne maiorẽ legitima uſurã præſtet, l. 4. l. 6. l. pen. D. h. t. l. 1. C. eod. Quartũ eſt, ut propter illud idẽ periculũ fœnus hoc ſolo nudo pacto ꝓmiſſum ciuiliter debeatur: l. in qbuſdã, 7. D. h. t. Quintũ eſt, ut, ſi pecunia ſua die nõ ſoluatur, ſtipulari liceat poſt diem diſcuſsi periculi pœnę nomine certã ſummã in dies ſingulos ꝓpter ſerui ſectatoris operas, qb. interea creditor carebat: l. traiect. 23. D. de obl. & act. aut etiã propter ſumptus, d. §. Callimachus.

limachus, eáq; modò Pœnæ ſtipulatio dicitur, modò ſtipulatio Operarum: ut in l. 4. in f. ĵ.h.t. modò coniunctim, ſtipulatio pœnæ ob operas; ut in d. l. traiectitiæ. Et pœna dicitur pœna traiectitiæ pecuniæ: l. debitori, 13. D. de neg. geſt. l. pen. & l. ult. D. h. t. Et quoniam Pœna illa poſt diem periculi ſtipulabatur, modum legitimæ uſuræ excedere nō licebat: l. pecuniæ, 9. l. pœnam, 44. D. de uſur. neq; ſeparatim, ſi ſola pœna ſtipulabatur, neq; coniunctim, ſi fortè uſuram, & inſuper pœnam: aut ex contrario pœnam, & inſuper uſuram præſtari conuenerat: l. 4. §. 1. D. h. t. Sextum eſt, ut ex hoc negotio competat actio, quæ dicitur actio Traiectitiæ pecuniæ: non tantùm eorum nomine, quæ creditor, uerumetiam quæ ſeruus aut libertus aſſecla geſsit: l. 3. §. ſi ſeruus. D. de pecul. Poſtremò notandum eſt, ad traiectitiæ pecuniæ exemplum receptum fuiſſe, ut quibus cæteris in caſibus periculum ſuſciperetur, cùm ad aleæ ſpeciem pertineret, in ijs magnum lucrum quaſi periculi pretium non modò ſtipulari, uerumetiam paciſci liceret: ueluti ſi quis piſcatori, aucupi, uenatori pecuniam erogauit, ut ſi nihil cœperit, nihil recipiat: ſi ceperit, & ſortem & inſuper lucrum habeat: l. periculi, 5. ĵ.h.t. quæ tamen cum decē mendis contaminata eſſet, perpurgata eſt à nobis lib. Obſeruat. V.

FRANC.

FRANC.

# HOTOMANI
## IVRISCONSVLTI

## COMMENTARIVS IN TIT. Lib. IV. Cod. DE VSVRIS.

### Ad l. I.

Imp. ANTONIN. PIVS A. Euocato.

*Si interrogatione præcedente promiſſio uſurarum rectè facta probetur: licet inſtrumento conſcripta non ſit, tamen optimo iure debentur.*

AN Vſurarum, quæ per ſtipulationem, ſed ſine ſcriptura promiſſæ ſunt, petitio concedatur: D. C. E. ut propter omiſſam ſcripturam actio deneganda eſſe uideatur, cõſuetudo populi R. cui moris fuit, ut pecuniarum creditarum nomina conficerentur, & eiuſmodi obligatio in litteras referretur: §.1. de oblig. liter. Vnde Kalendarij nomen pro libro fœnebris pecuniæ, l: ult. D. de pecul. l. pen. D. ſi cert. pet. Inde etiam uulgatum Perſcriptionum & Tranſcriptionum nomen. Cicero pro Comœdo: Hæc pecunia aut data expenſa lata, aut ſtipulata ſit. Datam non eſſe Fan-

niue

nius confitetur: expenſam latam non eſſe, Codices Fannij confirmant. Stipulatã enim eſſe taciturnitas teſtium cõcedit. Augere etiam dubitationem potuit, quod fortaſſe in propoſita ſpecie ſortis ip ſius debitum in tabulas relatum erat: fœnerationis autem promiſsio prætermiſſa. C.T.R. quia contractus omnes ſola teſtatione ſine ulla ſcriptura cõſtant: & teſtibus ſolis æquè ut inſtrumentis probari poſſunt: l.4. D.de fid.inſtrum. l. 4.D. de pignor. qua de re plenius diximus ad l. pactũ quod bona, 17. C. de pact. Notandum eſt autem, quod ait Imp. Præcedente interrogatione: quoniam ut actio, petitio uſurarum concedatur, non ſatis eſt eas promiſſas eſſe, & pactum de ijs conuentum eſſe, niſi interpoſita ſtipulatio ſit: l. 3.§. h. t. l.6. §. ſi cert. petat. l. Titius, 24. D. de præſcr. uerb. Sic enim ius Quiritium conſtitutum fuit, ut ciues R. ex pacto nudo ciuiliter non obligarentur: ut dicemus ad l.3.§.h.t.

## Ad l. 2.

Imp. SEVERVS & ANTON. AA. Lucio.

*Vſuras emptor, cui poſſeſſio rei tradita eſt, ſi pretium*

*ſi pretium uenditori non obtulerit: quanuis pecuniam obſignatam in depoſiti cauſſam habuerit, æquitatis ratione præſtare cogitur.*

An emptor, qui re accepta pretium depoſitum obſignatumq́; habuit, ſed tamen non obtulit, eius uſuras debeat. D. C. E. ut non debere uideatur, quia in bonæ fidei iudicijs, Vſura propriè nihil aliud eſt, quàm compenſatio eius, quod creditoris intereſt, debitorem pecunia ſibi debita uſum eſſe: l. cũ quidam, 17. §. ſi pupillo, D. h. t. atque idcircò pecuniam alienam ſuos in uſus non conuertens, debere uſuras negatur: l. 3. & l. 4. J. depoſ. C. T. R. æquitatis ratione, ut Imperator adſcribit: quoniam cùm emptor ex re ſibi tradita fructus percipiat, ęquum eſt, ut aut pretium uenditori fruendum det, aut pretij, ex quo ſuum commodum compendiumq́; comparat, tardius ſoluti, uſuras ſoluat: l. Iulianus, 13. §. ex uendito. D. de act. emp. l. curabit, 5. l. fructus, 13. J. eod. ante poſſeſsionẽ aũt emptori traditam, ne fiſco quidem uenditori uſuræ debentur: l. liberalitatis, 16. §. 1. D. h. t. Et eadem ęquitatis ratio reciprocatur in uenditore, qui euicto fundo, pretij uſuras debet: quoniam emptor lite de dominio mota, medij temporis fructus euictori reſti-

tuit:

tuit: l. euictis, 18. D. h. t. ubi pro Quanuis non dubito, quin Quoniam reſtitui debeat. Non igitur ſatis erit, pretium in depoſiti cauſſam obſignatum habere. nam etiam offerri illud oportet: l. qui Romæ, 122. §. pen. de uer. obl. l. 1. in fi. D. h. t. quod idem in credita pecunia iuris eſt, ut depoſitio & obſignatio uſuras nõ ſiſtat, ſed ſola oblatio: l. 6. l. acceptam. 19. ſ. h. t. l. ult. ſ. de pign. act. Sed huic legi tum demum locus eſt, cùm in promptu eſt, cui pecunia offeratur. nam ſi incertus uenditoris ſucceſſor eſt, ſatis eſt pecuniam deponi: l. euictis, 18. §. ult. D. h. t. Notandum etiam quod Imp. adſcripſit, AEQVITATIS RATIONE eò pertinere: quoniam in bonæ fidei iudicijs uſuræ non ex obligatione debentur, ſed ex æquitate & officio iudicis applicantur: l. quæro, 54. D. locat. l. 1. D. h. t. l. 6. in fi. & l. ſeq. D. de neg. geſt. & l. Lucius, 24. D. depoſ. Poſtremò, quod ad ſummam huius legis attinet, docuimus in Commentatione de Vſuris, non ſatis in hac explicanda quæſtione inter ueteres Iuriſconſultos conueniſſe, neque ſententiam mutauimus.

Ad l. 3.

Iidem AA. Iuliano.

*Quanuis uſuræ fœnebris pecuniæ citra uinculum ſtipulationis peti non poſſint: tamen ex pacti*

*pacti conuentione ſolutæ, neq; ut indebitæ repetuntur, neq; in ſortem accepto referendæ ſunt.*

An uſuræ fœnebris pecuniæ ex nudo pacto ſolutæ, uel repeti, uel in ſortem imputari poſsint: D. C. E. ut poſſe uideantur: quia ius Quiritium ita comparatum fuit, ut ciuis R. ex nudo pacto nõ obligaretur: l. ſi tibi, 27. C. locat. Regula autẽ iuris eſt, ut in debitum per errorem ſolutum, indebiti condictione repetatur: l. 1. & paſs. D. & C. de cond. indeb. C. T. R. quoniam illa regula intelligitur de eo, quod nullo omnino iure debetur: hoc eſt, ne naturali quidem: l. nam hoc, 14. D. ill. tit. Ex nudis autẽ pactis naturalis obligatio contrahitur: l. Stichũ, 95. §. naturalis. D. de ſolut. Atq; hæc quidem Imp. tum in h. l. tum in l. 5. §. 2. D. de ſolut. Ex quibus perſpicuum eſt, quemadmodum illa Pauli uerba intelligenda ſint: lib. Sent. 2. tit. 14. Si pactũ nudum de præſtandis uſuris interpoſitũ ſit, nullius eſt momenti. nam momenti quidem permagni eſt ad retentionẽ, ſed nõ ad petitionem. In Baſilicis autem ita eſt: οἱ ἀπὸ συμφώνου τόκοι καταβληθέντες, οὐ δύνανται ἀναλαμβάνεσθαι, οὐδὲ εἰς κεφάλαιον καταλογίζονται. μὴ καταβληθέντες δὲ, οὐκ ἀπαιτοῦνται.

*Ad l. 4.*

Iidem AA. Honorio.

*Per retentionem pignoris uſuras ſeruari poſſe de quibus præſtandis conuenit, licet ſtipulatio interpoſita non ſit: meritò conſtitutum eſt, & rationem habet: cùm pignora conuentione pacti etiam vſuris obſtricta ſint. Sed enim in cauſſa de qua agis, hac ratio ceſſat, ſiquidem tempore contractus de minoribus vſuris petendis conuenit: poſtea autem cùm ſe debitor præſtaturum maiores repromiſit, non poteſt uideri rata pignoris retentiò: quando eo tempore, quo inſtrumenta emittebantur, non conuenit: ut pignus etiam ad hanc adiectionem teneatur.*

Prior quæſtio eſt, An pignus pro ſorte & uſuris nudo tantùm pacto promiſsis datum, retineri etiam pro uſuris poſsit. D. C. E. ut nō poſſe uideatur, quod ſup. ad l. 1. ductū eſt: Vſuras in mutuo ſine ſtipulatione nō deberi. C. T. R. & nominatim cauſſa exponitur, quia pignus non modò pro ſorte, uerumetiam pro uſuris nominatim contractum fuerat: ut in ſpecie l. ſolutum, 11. §. 2. D. de pig. act. l. grege, 13. §. ult. D. de pignor. Vſuræ uerò quamuis ciuiliter ſine ſtipulatione non debeantur

beantur ut peti poſsint, tamē pacto nudo naturaliter debentur (quemadmodum ſup. l. dictum eſt) ut non modò earum nomine retineri pignus poſsit: l. pignorib. 22. ſ. h.t. uerumetiam creditori pignus uendēti pretium imputare in uſuras naturaliter tantū debitas permittatur: l. Paulus, 101. §. 1. D. de ſolut. Sed an pignoris retētio ob uſuras nudo tantùm pacto promiſſas cōcedatur, ſi nihil nominatim de pignore pro uſuris dando cōuenerit, quæri poteſt. Hoc. n. apertè Harmenop. affirmat ad §. ult. l. ſi neceſſarias, 8. D. de pig. act. ubi cum Pomp. ſcripſiſſet, pactionē de pignore uendendo etiam ad uſuras pertinere, ita ſubiunxit: τὸ γὰρ ἐνέχυρον τὸ ὑπὸ τὸ κεφάλαιον ὑποτεθὲν, σιοπηρῶς καὶ ἐπὶ τοῖς τόκοις ὑπόκειται. qua in ſententia ſanè fuiſſe quoq; Pomponius uidetur. Et eodē pertinet, quod ait l. 1. C. etiā ob chir. pignoris retentionē concedi etiā pro ijs pecunijs, quę mutuę ſimpliciter, id eſt, etiā ſine pignore acceptæ ſunt. Sed Impp. in h. l. diſertè contrariā ſibi placuiſſe ſententiam teſtantur in illis uerbis: Cùm pignora cōditione pacti etiā uſuris obſtricta ſint. nam ex contrario argumētari licet, ubi nominatim pro uſuris obſtricta non ſint, retentionem non concedi. idemq; apertè Vlp. ſcribit in l. ſolutum, 11. §. ſi in ſortem. D. de pig. act. illis uerbis: Si tamen pignus & in eas obligatū fuit: quæ uerba conciliationem illam excludunt, quam

à quibuſdam excogitatã eſſe uideo: utramq; hanc legẽ intelligẽdam eſſe, cùm pignus in ſortem duntaxat, non autẽ in uſuras contractum eſt. Neq; præterea emendationem illam probo, ut in d. §. 2. legatur: NEC IN VSVRAS, prò VEL IN VSVRAS: cùm ſententia ſit aptiſsima, ſiue in ſortem, ſiue in uſuras tantùm pignus cõtractum fuerit, ſorte aut uſuris ſolutis liberari. pignus uerò ſimpliciter pro ſorte contractum, nõ etiam pro uſuris tacitè contractum intelligitur: niſi nominatim etiam pro uſuris ſit conſtitutum. Atq; ita uideo in Baſilicis locum hunc interpretatum fuiſſe: ut Græco Harmenopulo Græcos aúctores opponamus. *ἐνεχύρου δὲ ὄντος* (ſic legendum eſt) *δίδωσι τῷ δανειστῇ παρακατάσχεσιν, ἐὰν συνεφωνήθη. τότε μέντοι, ὅτε, καὶ ἐπὶ τόκῳ τὸ ἐνέχυρον ὑπετέθη.* Ad illud uerò quod obijcitur ex l. 1. C. etiam ob chir. pec. facilis reſponſio eſt: Imp. eo loco diſertè locutũ eſſe de ſorte ipſa pecunia mutuò data: cuius fauor ad uſuras, quæ odioſę ſunt, produci non poteſt. Altera quæſtio eſt hæc: An pignus datũ pro minore uſura nudo pacto promiſſa, ſi poſtea maior uſura ſtipulata ſit, huius nomine retineri poſsit. Cauſſæ conſtitutio eſt hæc: Creditor, cui pro ſorte & uſuris datũ pignus fuerat, de ſemiſsib. tantùm uſuris nudo pacto conuenerat: easq; per tempus aliquod exegerat. Poſtea creditor maiores ſtipulatus

tus eſt: neq; ullam in ſtipulatione pignoris mentionem interpoſuit. Quæritur, an pro his nouis uſuris pignoris retentionem habeat. D. C. E. ut habere uideatur, quoniam quod ſtipulationi deeſt, per pactum ſuperius ſuppletur. tacitè namq; repetitum intelligitur: l. 4. §. ult. D. de pact. l. Titia, 134. §. 1. & §. ult. D. de uerb. oblig. C. T. R. quoniam in ſtipulationib. uerba ſpectanda, neq; quod omiſsũ eſt, tacitè ineſſe intelligitur: l. quidquid, 99. D. de uerb. obl. Obiectionis autem ſolutio hæc eſt, quòd regula illa intelligitur de ſtipulatione pacto incontinenti ſubiecta: ut moris fuit: l. 7. §. quod ferè. D. de pact. hæc uerò ex interuallo contracta fuerat. & hac de re plenius dictum eſt ad l. petens, 27. C. de pact. Atque ita cùm obligatio noua ſine pignoris mentione contracta eſſet, Imp. reſcripſit, pignoris obligationem renouatam nõ intelligi: l. 1. C. etiam ob chirog. pec. quippe, cùm tacitũ pignus nõ niſi certis & definitis cauſſis contrahatur: l. 1. & paſs. D. in quib. cauſſ. pign. Pars autem hæc poſterior in Baſilicis ſic expreſſa eſt: *ἔξεστι δὲ προσυμφωνεῖν, ἵνα ἐὰν μὴ καταβληθῇ ἔσω τυχὸν ἐνιαυτοῦ τὸ κεφάλαιον, καὶ ὁ τόκος μείζων τόκος ἐξ ἐκείνου τοῦ καιροῦ καταβληθῇ. ἐὰν οὖν δανεισάμενός τις καὶ συμφωνήσας τόκον, ὑπέθετο καὶ τὸ ἐνέχυρον ἐπὶ τῷ τόκῳ: ὑπερχρονίας δὲ γενομένης, μείζονα τόκον ἐπηγγείλατο καταβαλεῖν, καὶ οὐ συνεφώνησεν ὑποκεῖσθαι τὸ ἐνέχυρον ἐπὶ τῇ προσθήκῃ τοῦ τόκου, οὐ καλῶς παρακρατεῖται τὸ ἐνέχυρον.*

*Ad l. 5.*

Iidem Auguſti & cc. Sabino
& aliis.

*Aduerſus creditorem uſuras maiores ex ſtipulatu petentem ſi probetur per certos annos minores poſtea conſecutus: utilis eſt pacti exceptio: ſecundum quod tueri cauſſam poteſtis etiam aduerſus defenſores ciuitatis maiores petentes ex cautione, ſi probaueritis ſemper quincunces amitam pupillorum veſtrorum, quæ maiores cauerat, dependiſſe.*

An qui minores, quàm ſtipulatus fuerat, uſuras per aliquot annos accepit, de remittendis maioribus tacitè pactus intelligatur. Cauſſæ conſtitutio eſt huiuſmodi: Qui beſſes uſuras ſtipuláti promiſerat, easq; ſe præſtaturũ cauerat, per aliquot annos quincunces tantùm pręſtitit, non reclamanti, neque contradicenti creditori. Poſtea creditor animaduerſa cautione beſſes in poſterum petere inſtituit. ſuperioris autẽ temporis, quantũ ad integras penſitationes deerat. D.C.E. ut deberi uideantur, quantum ad reliqua ſuperiorum penſionũ, quoniam eatenus contracta obligatio ſoluitur, quatenus pecuniæ numeratio interuenit: l. ſtipulatus, 9. §. 1. D. de

ſolut.

ſolut. Quantum aũt ad penſiones inſequentes, dubitandi cauſſa eſt: quia creditor nihil expreſsè conuenerat de maiorib. uſuris non petendis, ut ei obijci poſſe pacti exceptio uideretur: ſicut in l. Modeſtinus, 23. D. de don. & l. ſi unus, 27. §. ſi cum decē. D. de pact. & omnino ita eſt, ut qui præteritas uſuras accepit, futuri temporis uſuras nihilo ſecius poſſit petere: l. ſi in iudic. 23. D. de excep. rei iud. C.T.R. itemq; in l. quamuis, 8. ꝭ. h. t. & l. qui ſemiſſes, 13. D. h. t. creditorem per annos multos ſpontè minores uſuras recipientem tacitè de grauioribus remittendis conueniſſe. cuius reſcripti ęquitas in odio uſurarum poſita eſt: quarum cauſſa cùm odioſa ſit, ubiq; reſtringi ſolet, adeò ut qui longo tempore uſuras non petijt, tacitè pactus de ijs non petendis iudicetur: l. cùm quidam, 17. §. 1. D. h. t. Et de cauſſa uſurarũ propter odium reſtringenda, exempla extãt in l. conſtitutionib. 24. D. ad municip. l. 1. C. de cond. indeb. l. 4. C. de cond. ob turp. cauſ. l. quęro, 54. D. locat. Neq; obſtat, quòd ex cõtrario debitor maiores uſuras per errorē ſoluens ſibi non pręiudicat, ſed eas in ſortē imputat: l. creditor, 102. §. ult. D. de ſolut. quoniam diuturna præſtatio nõ cõſtituit obligationē. l. ſi certis, 28. ĩ. de pact. l. operis, 31. D. de oper. libert. l. ult. ſ. Ne uxor pro marit. & ea de re dicetur ad l. 7. ꝭ. h. t. A qua tamen regula excipitur alimentorum

cauſſā,iure ſingulari: l. 1. C. de fideic. Notandum præterea, quod aſcribitur in lege noſtra,idem eſſe, etiā cum Reip. uſuræ debentur, & eas defenſor ciuitatis ſtipulatus eſt. in quo nihil aduerſatur l. imperatores,37. D. de pact. ubi negatur ualere pactū curatoris Reipub. de non petendo. nam in illa lege agitur de ſorte: in hac uerò de uſuris, quarum cauſſa (ut iam dictum eſt) odioſa eſſe ſolet.

## *Ad l. 6.*

Imp. ANTON. A. Antiæneo.

*Si creditrici, quæ ex cauſſa pignoris obligatam ſibi rem tenuit, pecuniam debitā cum uſuris teſtibus præſentibus obtuliſti, eaq; non accipiente, obſignatam eam depoſuiſti: uſuras ex eo tempore quo obtuliſti, præſtare non cogeris: abſente uerò creditrice, præſidem ſuper hoc interpellare debueras.*

In credita pecunia an poſt obligatam obſignatamq; ſortem uſuræ conſiſtant. D. C. E. ut nihilominus currere uideantur: quia non obſignatio depoſitioq; pecuniæ, ſed eius numeratio ac ſolutio, legitimus eſt diſtrahēdæ obligationis modus: l. ſtipulatus,9. §.1. D. de ſolut. atq; ut contrahendę, ſic etiā diſtrahendæ obligationis certi ſunt modi, inter quos Obligatio non numeratur: §.1. & paſs. Quibus

bus mod.obl.diſſol.C. T. R. cùm in h.l.tum etiam in l.9.& l.acceptam,19. J.h.t. & l. debitor,7.D.h.t. & l.ult.C.de pign.act. in quibus omnibus de pecunijs creditis agitur:idemq; in bonæ fidei iudicijs ualere demonſtratum eſt ſub l.2.ſ.eod.Notandum eſt aũt,utrumq; coniunctim requiri,Oblationem & Depoſitionem. nam Oblatio quidem à periculo liberat ipſo iure: ut Sabiniani diſputarunt: l. ſtipulatus,105. D.de uer.oblig. per exceptionem doli,ut Proculiani ſtatuerũt:quos Paulus ſequitur in l. interdum, 73. §. ult. D. eod. ab uſuris uerò, ſine obſignatione & depoſitione nõ liberat.hac,opinor,de cauſſa, quaſi debitor nihilominus uti pecunia,quam non depoſuit,uideatur. Itaq; quod Africanus ſcribit in l.traiectitiæ,23. de oblig.& act.in traiectitia pecunia nõ aliter pœnæ ſtipulationem non committi,quàm ſi per debitorẽ non ſtetiſſet,quò minus ſolueret: uidendũ eſt, quẽadmodum interpretemur: utrum minus dixerit, plus ſenſerit:& obſignationem etiam requirat:an uerò in eiuſmodi uſuris ſingulari iure ſola oblatio deſideretur. quod propter uſurarum illarum grauitatem probabilius uidetur.

*Ad l. 7.*

Idem A. Ariſteo.

*Creditor inſtrumentis ſuis probare debet,*

*quæ intendit, & uſuras ſe ſtipulatum, ſi poteſt Nec enim ſi aliquando ex conſenſu præſtita ſunt, obligationem conſtituunt.*

An qui per aliquod tempus indebitas uſuras ſoluit, idcircò ad eas in poſterum ſoluendas obligetur. uel hoc modo: An indebitarum uſurarum præſtatio per aliquod tempus continuata, earum obligationẽ inducat? D.C.E. ut inducere uideatur: quoniam obligatio non tantùm expreſſa, uerũ etiam tacita uoluntate contrahitur: l. item quæritur, 13. §. ult. & l. ſeq. D. locat. l. nam cũ tractatu, 32. D. pro ſoc. qua de cauſſa qui per triennium alimenta ex fideicommiſſo pręſtitit, agnoſcere obligationẽ uidetur: l. 1. C. de fideic. C.T.R. propter eam cauſſam, quam ſuperius ad l. 5. expoſuimus: quia uoluntaria aliquot annorum pręſtatio obligationem nõ inducit: l. ſi certis, 28. C. de pact. In cuius interpretatione utriuſq; ſuperioris obiectionis ſolutionẽ expoſuimus. Gręci autẽ hanc legem ſic conuerterunt: *ὁ δανειστὴς ὀφείλει δεικνύειν καὶ τὸ χρέος, καὶ τὴν τῶν τόκων ἐπερώτησιν: τὸ γὰρ ἐπί τινα χρόνον ἀπὸ συγκινήσεως τόκους αὐτὸν λαβεῖν, οὐ ποιεῖ πρόκριμα τῷ χρεώστῃ.* Ex quo exoritur quæſtio, utrum hæc uerba, EX CONSENSV, ſic accipienda ſint, quaſi ſcriptum eſſet, EX PACTO: ut omnib. placere uideo: an uerò quaſi Imperator ſcripſiſſet,

pſiſſet, ſpontè & uoluntate debitoris, cùm id expreſsè non conueniſſet. quod eò mihi probabilius uidetur, primùm, quòd Baſilici libri uerba hęc, EX PACTO, ſemper ita con uertunt: ἀπὸ συμφώνου. deinde, quoniam uſura indebitè ſoluta quorundam Iuriſconſultorum opinione non repetebatur: ut dicemus ad l. indebitas, 18. ĩ. h. t.

*Ad l. 8.*

Idem A. Theophoro.

*Quamuis Baſſa, cùm pecuniam mutuam acciperet, minores uſuras Menophoni ſpopondit: & niſi intra certũ tempus eas ſoluiſſet, ampliores (licitas tamen) promiſit: tamen, ſi poſt tempus cautioni præfinitum creditor eaſdem accepit, nec maiores ſibi dari poſtulauit, ac per hoc non receſſiſſe eum à minorum præſtatione, probari poteſt: eas uſuras computari oportet, quarum in exactione creditor perſeuerauit.*

Huic ſatisfactum eſt ſub l. aduerſus, 5. ſ. h. t.

*Ad l. 9.*

Idem A. Probo.

*Si per te non ſtat quò minus intra tempora præfi-*

*præfinita pecuniam minorum ſolueres uſurarum, ſed per tutores filiorum creditoris, qui eam accipere noluerunt, idq́ apud iudicem datum probaueris: eius temporis quo per te nõ ſtetiſſe apparuerit, uſuræ maiores non exigentur. Quòd ſi etiam ſortem depoſuiſti: exinde ex quo id factum apparuerit, in uſuras non conuenieris.*

Huic ſatisfactũ eſt, ſub l. ſi credit. 6. ſ. h. t.

## *Ad l. 10.*

### Idem A. Donato.

*Vſuræ per tempora ſolutæ non proficiunt reo ad dupli computationem. Tunc enim ultra ſortis ſummam uſuræ non exiguntur, quotiens tempore ſolutionis ſumma uſurarum excedit eam computationem.*

Vtrum lex, quæ uetat duplum ſortis excedi, ad eas tantùm quæ ſummatim & uniuersè, an etiam ad eas, quę particulatim ſoluuntur, pertineat. nã uetus lex fuit, ne uſura duplũ ſortis, h. e. alterum tantũ, quãtum eſt in ſorte, excederet: l. ſi non ſortẽ, 26. §. 1. D. de con. ind. l. 4. §. 1. D. de naut. fœn. quæ lex primùm

mũm odio fœneratorũ, tum etiã fauore debitorum inſtituta eſt. nam ſiue poſt ſortẽ centum perſolutam, ſumma uſurarum quæ tantundem efficiat, debeatur, earum curſus ſiſtitur: quod in fœneratorum odium inſtitutum eſt: ſiue ante ſortem perſolutam tantũ uſurarum nomine debeatur, quãtum in ſorte eſt, earum quoq; curſus ſiſtitur: quaſi tum tacitè quodammodo fœnerator ſortem exigere iubeatur: quòd in debitoris fauorem introductum eſt, ne multiplicandis uſuris trucidetur. Quid igitur ſi penſio uſurarum menſtrua fuerit; & tandem ad centeſimam peruenerit? numquid etiam eius curſus ſiſtetur? Sanè dubitandi tot cauſſæ ſunt, ac diſputandi etiam hoc caſu ſiſtendam eſſe, ut ne Iuriſconſultos quidẽ omnes Imperatoris iſtius, hoc eſt, Elagabali, ut opinor, conſiliarios unum in locũ conuocatos, iis reſpondere poſſe exiſtimẽ. Tam enim per plures menſtruas aut annuas penſiones, quàm per unam ſolidam ſors æquatur. ut cùm fructus à creditore ſupra ſortis quantitatem percepti, imputari in ſortẽ iubentur. de fructib. unoquoq; anno per tempora perceptis conſtitutio intelligitur: l. 1. nuper ex Græcis codicib. reſtituta. C. de pign. act. Neq; diſputari poteſt, quo caſu debitor nondum ſortem exſoluit, eo caſu æquum eſſe, ut quamdiu ſorte fruitur, tamdiu uſuras pendat. Superius enim

dximus,

diximus, etiam hoc caſu uſuras ſummatim ac ſemel ſolutas conſiſtere: quaſi quodammodò tacitè creditor à lege de ſua repetēda ſorte moneatur. Quid igitur intereſt, utrum per partes an ſummatim uſuræ ſolutio ſortis ſummam excedat? Atq; ita uideo Anianū, ueterem Pauli ſententiarū interprerem, ſententiam illam explanaſſe. Vſuræ ſupra centeſimā (ſub. penſionē) ſolutę ſortē minuunt, (nondū uidelicet ſolutā) & cōſumpta (id eſt, perſoluta) ſorte repeti poſſunt. Quod exemplum ex uſitata & ſolenni centeſimæ ſtipulatione ſumptum eſt. ut ſi antè ſortem ſolutam, centeſima uſurarum penſio excedatur, quod amplius ſolutum erit, in ſortem imputetur: ſin autem poſt ſortem ſolutam, tum quod amplius ſolutum erit, cōdicatur. Quæ cùm ita ſint, Imperator tamē, uel potiùs tyrannus Elagabalus cōtrarium ſcripſit: cuius reſcriptum cùm in Codicem relatum uim in iudicijs haberet, à Iuſtiniano abrogatum eſt. per Nou. 121. 138. 160. ſed uideamus ne illius generis hoc reſcriptum ſit, de quib. Iul. Capitolinus in Opilio Macrino ita ſcribit: Fuit in iure non incallidus, adeò ut ſtatuiſſet omninò ueterū Principum reſcripta tollere, ut iure, non reſcriptis ageretur: nefas eſſe dicēs, leges uideri Commodi, & Caracalli, & hominum imperitorū uoluntates: cùm Traianus nunquam libellis reſponderit, ne ad a-

lias

lias cauſſas facta referrentur, quę ad gratiam compoſita uiderentur. Vtcunq; ſit, Græci hanc legem, ſiue abſurditatem corrigentes, ſiue potius ad ius Nouellarum reſpicientes, ita conuerterunt: *οἱ κατὰ μικρὸν, καὶ κατὰ χρόνον καταβαλλόμενοι τόκοι, οὐ διπλῷ συμψηφίζονται, κἂν μὴ καθάπαξ ὑφ' ἓν καταβλήθωσαν.*

## *Ad l. II.*

Idem A. Popilio.

*Ex prædijs pignori obligatis creditor poſt oblatam ſibi iure pecuniam, quam non ſuſcepit: ſi fructus accepit, exonerari ſortis debitum certum eſt.*

An fructus à creditore poſt oblatam ei ſortem percepti, in ſortem ei imputentur. Primùm intelligendum eſt, creditorē hunc *ἀντιχρώμενον* fuiſſe: & mutuum, de quo hic agitur, non gratuitum, ſed ſub pacto *ἀντιχρήσεως* contractū fuiſſe: quoniam ei, qui gratis pecuniā credidit, ſine dubio fructus quos percepit, in ſortē imputantur, debitumq; extenuant: ac nō modò quos percepit, uerumetiam quos percipere potuit: l. 1. l. 2. l. 3. & l. ult. C. de pig. act. l. 1. C. de diſt. pign. Cùm igitur creditor uſq; adhuc fructus pro uſuris percepiſſet, oblata ei debita pecunia eſt: idq; iure & ſolenniter, ut textus loquitur, i. e. idoneo loco & tēpore. l. accept. 29. ſ. h. t. l. obſig. 9. C. de ſolut.

Poſteà

Poſteaquam recuſauit oblatā pecuniam accipere, nihilominus fructus capere perrexit. Quæſitum eſt, utrum ei in ſortem, an in uſuras imputari poſsint. D.C.E. ut potius in uſuras imputādi uideantur: quoniam, quamdiu uſuræ currunt, tamdiu pignerati fundi fructus pro uſuris retineri poſſunt: ſi modò nominatim etiam pro uſuris pignus cōtractum ſit: l.4. & l.pignorib.22. ].h.t. Cùm autem creditori ſoluta pecunia non eſſet, neq; debitoris obligatio ciuilibus modis ſublata: & currere uſurę, & propterea fructus in eas imputandi uidebantur. C. T. R. quoniam oblatio pecuniæ ἀντύχρησιν ipſo iure liberat: propter edictum Seruianum; quo cautum eſt, ut pignus liberetur, pecunia creditori ſoluta, uel ſi per eum factum ſit, quò minus ſolueretur: l.ult. C. de luit. pig. l. acceptam, 19. ].h.t. Ex quo notanda differentia eſt inter obligationem fœnoris, & obligationem ἀντυχρήσεως. nam illa pręter oblationem, etiam obſignationem ac depoſitionem requirit: ut dictum eſt ad l. 6. ].h.t. hæc uerò ſolam oblationem, ut Imp. h. l. demonſtrat. Differentiæ ratio hæc eſt, quia creditor poſt illam oblationem & denuntiationem malæ fidei poſſeſſor conſtitui uidetur. l. item ueniunt, 20. §. petitū. l. ſed etſi, 20. §. ſi ante. D. de hered. petit. Similiterque oblatio pretij ab emptore facta ſolutionis uim obtinet: ut pignus, cuius iure uenditor

tantiſper rē retinebat, liberetur. l. Iulianus, 13. §. offerri. D. de act. empt.

*Ad l. 12.*

Imp. ALEXAN. A. Tyranno.

*Frumenti vel hordei mutuo dati acceſſio etiam ex nudo pacto præſtanda eſt.*

An ex nudo pacto, de uſuris pro mutuis frugibus præſtandis, obligatio naſcatur. D. C. E. ut naſci nō uideatur, uulgata Regula: Ex nudo pacto ciues R. nō obligantur: de qua re dictum eſt ad l. 3. ſ. h. t. cui addi poteſt Odium uſurarum, quarum cauſam odioſam eſſe probauimus ad l. 5. ſ. h. t. C. T. R. Itēq; in l. ſe ea lege, 17. ſ. h. t. Ratio ſingularis iuris in uſura frugum eſt pretij earum inconſtātia & uarietas. quoniam interdum uſuuenit, ut quæ fruges mutuationis tempore chariſsimæ fuerūt, eædem ſolutionis tempore ſint uiliſsimæ. Notādum autem Acceſsionis uerbo, Fœnus ſignificari. nam à Græcis ita conuerſa hæc lex eſt: *καρπῶν δανειζομένων, δύναται καὶ ὁ ἀπὸ συμφώνου τόκος ἀπαιτεῖσθαι.*

*Ad l. 13.*

Idem A. Euſtachiæ.

*In bonæ fidei iudicijs (quale eſt negotiorū etiā geſtorum) vſurarum rationem haberi certum eſt. Sed ſi finitum eſt iudicium ſententia: quamuis minoris condemnatio facta eſt non adiectis vſuris, nec prouocatio ſecuta eſt: finita*

I *retra-*

*retractanda non ſunt: nec eius temporis quod poſt rẽ iudicatam fluxerit, vſuræ vllo iure poſtulantur, niſi ex cauſa iudicati.*

An cui negotiorum geſtor ſine adiectione uſurarum condemnatus eſt, quamuis nõ appellarit, tamen poſt rem iudicatam petere uſuras poſsit. D.C.E. ut petere poſſe uideatur: quoniam alia uidetur eſſe ſortis, alia uſurarum obligatio. qua de cauſſa, de una iudicatum alteri non præiudicat: l. ſi in iudicio, 23. D. de except. rei iud. C.T.R. quia in bonæfidei iudicijs uſuræ non ex obligatione, ſed officio iudicis ueniunt. l. 1. D. h. t. l. quæro, 54 D. locat. qua de cauſſa, unius eiusdemque iudicis, tam in ſortem quàm in uſuras, poteſtas arbitriumque eſt: ut ſi iudex nullam in condemnatione earum rationem habuerit, nulla creditori earum petitio ſuperſit: l. 4. C. depos. ubi autem ſententiam dixit, ſiue pluris, ſiue minoris condemnauit, officio ſuo functus eſt, l. iudex, 55. D. de re iud. Superior autem obiectio ad creditas pecunias, & ſtricta iudicia pertinet: ſicut in l. cum ſtipulati, 90. D. de uerb. obl. Rectè autem Imp. ita ſcripſit: NEC PROVOCATIO SECVTA: propter l. ult. D. de re iud. & l. negotiorum, 24. D. de appell. ubi concedi uidetur utilis actio & petitio earum uſurarũ, quarum iudex rationem in hoc bonæ fidei iudicio nullam habuerat. Sed intelligendum

eſt reum

eſt reum in illa ſpecie, non tantùm in ſortem, uerum etiam in uſuras condemnatum: ac proinde niſi prouocaſſet, actione iudicati uſuras peti ab eo licuiſſe: primùm temporis antè priorem ſententiam elapſum: deinde temporis poſt iudicati faciendi diem præteriti. Intermdij temporis, quod inter diem ſententiæ & diem iudicati faciendi fluxit, (quod induciarum tempus appellatur) uſuræ non debentur. l. 3. §. 1. D. de uſur. l. ult. C. de uſur. rei iud. Intermedij temporis, quod inter priorem & poſteriorem ſententiam fluxit, uſuræ debentur, ſi modò fruſtratoria morandi cauſſa appellatio interpoſita eſt: l. tutor, 41. D. h. t. at hæc appellatio bona fide & non fruſtrandi animo interpoſita fuerat: itaq; Iudex ſimpliciter eam iniuſtam pronuntiarat. qua de cauſa quærebatur, an illius intermedij tẽporis uſuræ peti poterant. D. C. eſt, huius legis deciſio. Et certè reſpondetur, directam actionem non competere: utilem tamẽ iudicati actionem idcircò accõmodari poſſe, quia reus priore ſentẽtia in uſuras cõdemnatus fuerat. Sententiam autẽ illam per interpretationem etiam ad uſuras poſtea ſecuti temporis, uſq; ad poſteriorem ſententiam produci poſſe.

*Ad l. 14.*

Idem A. Aurelio.

*Si ea pactione uxor tua mutuam pecuniam dedit, vt vice uſurarum domum inhabi-*

*taret,pactoq́; ita vt conuenit vſa eſt,non etiã locando domum penſionem redegit : referri quæſtionem,quaſi plus domus redigeret ſi locaretur, quàm vſurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet. Licet enim vberiore ſorte potuerit contrahi locatio :non ideo tamẽ illicitum fœnus eſſe contractum,ſed uilius conducta habitatio videtur.*

Si conuenerit, ut pro uſura habitatio concedatur,an legitimus uſurarum modus ſeruetur? Titia Mæuio centum credidit ea lege, ut ſibi pro uſuris habitare in Mæuij domo liceret. Domus locari X V. aureis potuit. qua de cauſſa, legitimus uſurarum modus exſuperatus eſt. Quæſitum eſt, an illicitum fœnus contractum uideatur (cuius pœna infamia eſt l.improbum, 20.C. ex quib. cauſſ.infam.) & intra legitimum modum reſtringenda ſit? ut in l. pecuniæ, 9. D. h. t. D.C. E. ut illicitum fœnus uideatur:quia uterum lex de uſurarum modo apertè uioletur, an fraus ei fiat, nihil intereſt uelut in ſpecie l.ſeq. & l.Iulianus, 13. §. ibidem Papin. D. de act. empt. Sed Imp.diſtinctionem adhibendam eſſe ſcribit, utrum creditor ipſe domum inhabitet, an ex eius locatione, penſionem percipiat quod ei licere conſtat ex. l. creditor, 23. D. de pignorib. Nam ſi eam locet, & penſio legitimum uſurarum modum excedat,conuentionem in-

nem intra finem legitimæ uſurarum reuocã-
dum eſſe: & quod inſuper exactum erit, ſorti imputandum: d. §. 9, & l. placuit, 29. D. h. t. Sin autem creditor ipſe domum inhabitarit, tum nõ antichreſin, aut fœnus, ſed locationẽ & conductionem contractam fuiſſe: ut pro penſione reditus pecuniæ computetur: & uſurarum debitum cum penſionis debito com penſetur. Neque obſtare, quòd pluris locari domus potuerit. quoniã ſicut emptio & uenditio ualet, quamuis donationis cauſſa minoris res uendita ſit: ita locatio & conductio rata eſt, quamuis donationis cauſſa uilius res locetur, cùm uterq; contractus ijſdem regulis iuris cõtineatur, l. ſiquis donationis, 38. D. de cõtr. empt. l. 2. l. itẽ ſi, 22. §. ult. & l. ſeq. D. locat.

*Ad l. 15.*

Imp. GORD. A. Claudio.

*Cum allegas vxorẽ tuam ea conditione mille aureorum numero quantitatem ſumpſiſſe, vt ſi intra diem certum debito ſatis non feciſſet, cum pœna quadrupli redderet quod accepit: iuris forma non patitur legem contractus iſtius vltra pœnam legitimarum vſurarum poſſe procedere.*

An ualeat conuentio, ut ſi ſors ſua die non ſoluatur, maior pœna quàm modus uſurarũ patitur, prȩſtetur: ueluti, ut duplum aut quadruplum ſortis pœnæ loco præſtetur, niſi ad-

diem pecunia reddatur. D. C. E. ut ualere uideatur: quoniā aliud eſt Vſura, aliud Pœna. Illa lucri & quæſtus cauſſa inſtituta eſt: qua de cauſſa, certa quantitate & modo ſemper iure ſcripto definita fuit: hæc moræ & culpam coercendæ cauſſa inſtituta eſt, quapropter eius quantitas in partium conuentione atq; arbitrio ſemper poſita fuit: adeò, ut interdum & pœna & uſura eiuſdem rei nomine debeãtur: ut in l. Lucius, 47. D. de act. empt. qua de cauſſa, præter uſuram (ſi centeſima minor ſit) pœnam inſuper ſtipulari licet: l. 4. §. 1. D. de naut. fœn. deniq; ut in eo quod intereſt, legitimi uſurarum modi ratio non habetur. l. 2. §. ult. D. de eo quod cert. loc. Ita in pœna illius modi ratio habenda non uidetur: cum pœna eius quod intereſt, definiendi cauſſa ſtipuletur l. ult. D. de præt. ſtip. C. T. R. quoniam ea grauioris pœnæ ſtipulatio in legis fraudem interpoſita eſſe intelligitur. l. Iulianus, 13. §. ibidē Papinianus. D. de act. empt. l. pecuniæ, 9. l. pœnā, 44. D. h. t. In quibus etiā idē illud qđ hoc loco, traditur: nō totum cōtractum uitiari, ſed ſuperfluo deducto legitimam uſuram deberi. l. placuit, 29. D. h. t. In Baſilicis autē ſcriptum ita eſt: *ἐὰν ὁ δανείσας ἐπερωτήσει τὸ διπλοῦν ἐξ ὑπερθέσεως, μέχρι μόνου τοῦ νομίμου τόκου ἔρρωται.*

*Ad l. 16.*

Idem A. Sulpitio.

*Cum nō frumētū, ſed pecuniā fœnori te accepiſſe.*

*piſſe alleges,ut certa modiatio tritici præſtare-tur:ac niſi is modius ſua die fuiſſet oblatus,mẽ ſurarũ additamentis in fraudẽ legitimarũ uſu rarum grauatũ te eſſe contendas:potes aduer-ſus improbã petitionẽ cõpetẽti uti defenſione.*

An qui pro pecunia frumentum ſibi reddi pactus eſt,maiorem frumenti numerũ, quàm uſurarum ratio patiatur, in pœnam moræ ſti pulari poſsit. Qui centum crediderat,pactus eſt ſibi pro illis cẽtum,aliquot frumenti mo-dios reddi:qua conuentione notiſsimos Mu tui fines exceſsit, in quo eiuſdem generis fun ctio prẽſtanda eſt:l.2.D.ſi cert.pet. nouationẽ igitur interceſsiſſe intelligẽdum eſt: ſicut in l. pẽ.C.de ſolut.l.5.& l.eo quod,10.C.ſi cert.pet. l.pẽ.C.de rer.permut. Præterea ſtipulatus eſt, ſi moram debitor admitteret,aliquot inſuper frumẽti modios,quorũ ſi ſpectetur ẽſtimatio, facilè legitimũ uſurarum modum ſuperabit. Quærebatur,an ea ſtipulatio ualeret. D.C.E. ut ualere uideatur: quoniã in frugũ fœnera-tione, ꝓpter incertũ ánnorũ prouẽtũ & pretij inconſtãtiã, leigitimus uſurarũ modus nõ ſer uatur:l.olei,23.j.h.t.C.T.R. quoniã illi regulæ tũ demũ loc⁹ eſt, cũ ſors nõ in pecunia, ſed in eiusdẽ generis frugib⁹ conſiſtit:qđ in d.l.olei. his ſignificat̃ uerbis: eiuſdẽ materię. nã popu li R.morib.pecuniarię ſortis quãtitas nõ mu-tabat:ſed ſemp & ubiq; una eadẽq; manebat, l.1.D.de cõtr.empt.l.3. D. de eo quod cert loc.

*Ad l. 17.*

Imp. PHILIPPVS A. Euxeno.

*Si ea lege poſſeſſionē mater tua apud creditorem ſuum obligauit, vt fructus in vicem uſurarum conſequeretur: obtentu maioris percepti emolumenti, propter incertum fructuum euentum reſcindi placita non poſſunt.*

An contracta antichreſis propter perceptos uberiores fructus, quam ratio uſurarū ferret, reſcindatur. D. C. E. ut reſcindenda uideatur, quod ſuperiorib. proximis legibus dictum eſt, conuentiones, ob fraudem legibus factam, eatenus reſcindi, quatenus modus legib. pręſcriptus exſuperatus eſt. C. T. R. prætextu maioris emolumenti percepti ἀντίχρησιν non reſcindi: quod tamen de quantumuis magno exceſſu accipiendum non arbitror, ſed de mediocri: quemadmodum ſuperius dictum eſt, propter minorem aut maiorem mercedem locationem non reſcindi, l. item ſi, 22. §. ult. & ſeq. D. locati. præſertim cum unius anni ubertas, cum alterius ſterilitate compenſanda ſit, l. ex conducto, 15. §. ſ. & l. 3. D. ill. tit. Separatim etiam ex hac lege notandum eſt, emolumenti genus omnę, quod præter ſortem additur, Vſuram & Fœnus appellari: ut in literis ſacris, non modò fœnus, uerum etiam omne acceſsionis genus damnatur. Ezech. 18. 2. Exod. 23.

Ad l.

*Ad l. 18.*

Idem A. Caſtori.

*Indebitas uſuras etiam ſi ante ſortem ſolutæ non fuerint, ac propterea minuere eam nõ potuerint, licet poſt ſortem redditam creditori fuerint datæ, excluſa (veteris) iuris varietate, repeti poſſe, perpenſa ratione firmatum eſt.*

An uſuræ indebitæ poſt ſortẽ ſolutæ condici poſsint. D. C. E. ut non poſſe uideantur: quoniam indebiti condictio, tota in æquitate naturali poſita eſt: ut id demum repetat, quòd alterius apud alterũ ſine cauſa eſſe deprehendetur, l. hæc condictio, 66. D. de cond. indeb. Vſuræ autẽ quáuis neq; ſtipulatione, neq; pacto promiſſæ, tamen apud creditorẽ cui ſoluuntur ſine cauſſa eſſe non uidentur: ſed uel propter debitoris moram, quaſi pœna tarditatis, uel certè quia creditor uſu ſuæ pecuniæ caruit, qua debitor interea fruitus eſt. Quaſi ergo naturalis ad remunerationẽ ſubeſſet obligatio, concedenda non uidebatur condictio: cùm uſuræ naturaliter debitæ non condicantur, ut dictum eſt ad l. 3. ſ. h. t. atque idcirco pœnæ indebitæ ſolutæ condictio non conceditur: ueluti ſi ſua die ſoluta ſors non fuerit, quamuis promiſſa pœna nõ ſit, tamen ſi ſoluta ſit, non condicitur, l. pœnæ, 42. D. de cond. ind. Et profectò ita eſt, ut Imperator hoc loco teſtetur, complures

Iuriſconſultos in ea ſententia fuiſſe: quorum in numero ſanè uidetur Vlp. fuiſſe in l. ſi non ſortem, 26. D. de cond. indeb. ubi quæſtio de uſuris indebitis ſolutis, uel ab ipſo, uel fortaſſis Triboniani opera, præciſè & mutilatè tractatur. nam cùm eius duæ partes ſint: aut enim ante, aut poſt ſortem ſolutæ ſunt, de ijs quæ ante ſortem ſolutæ ſunt, reſpondet: de alijs nihil omninò. Sed ſtatim alteram quæſtionem de legitimo modo exſuperato ſubiungit, quæ ab hac noſtra planè aliena eſt. Quod aũt Florentię ſic ſcriptum eſt: SI NON ſorté quis, ſed uſuras indebitas ſoluit, repetere non poterit, ſi ſortis debitæ ſoluit. in uulgatis ita legitur: SI SORTI DEBITAS SOLVIT. quarũ neutrũ probo: propterea quòd, quid ijs uſuris fieri debeat, non declarat, in quo ſumma quæſtionis conſiſtit. Legendũ igitur cenſeo: QVASI SORTI DEBITAE SOLVERIT: hoc eſt, quia ſorti debitæ imputantur, ut eam minuant: quemadmodum Imp. hoc loco ſignificat, legis igitur initium, in quo de ſorte uerè debita loquitur, cum §. 2. comparandũ eſt, in quo de ſorte non debita diſputat. Contrariam ergo ſententiã Imp. re diu multumq; deliberata, placuiſſe reſcribit: hac, opinor, de cauſſa, quod uſuræ odioſę, ac proinde quantũ fieri poteſt reſtringendæ ſunt: ut dictum eſt ad l. 5. ſ. h. t. Ex quo inſignis inter Pœnam & uſuram differentia notanda

tanda eſt. Græci autem hanc cauſam afferũt, quia ſoluta ſorte, nihil eſt, in quod imputari ſolutæ uſuræ poſsint. Sic enim Gręcus liber emendandus eſt : ὁ μὴ κεχρεωστήμενος τόκος, εἰ μὲν πρὸ τοῦ κεφαλαίου καταβληθῇ, εἰς κεφάλαιον καταλογίζεται. εἰ δὲ μετὰ τὸ κεφάλαιον καταβληθῇ, ἐπειδὴ οὐκ ἔχει λοιπὸν εἴς τι καταλογισθῆναι, ἀναλαμβάνεται. ubi mendoſè legitur καταβληθῆναι. Sed hæc ſolutio inepta eſt, quia nulla ex parte ſuperiori de naturalis condictionis æquitate diſputationi reſpondet.

## *Ad l. 19.*

### Idem A. Hyreniæ.

*Acceptam mutuo ſortem cum uſuris licitis creditoribus poſt conteſtationem offeras. at ſi non ſuſcipiant, conſignatam in publico depone, vt curſus legitimarum vſurarum inhibeatur (in hoc autem caſu publicum intelligi oportet vel ſacratiſsimas ædes, vel ubi competens iudex ſuper ea re aditus deponi eas diſpoſuerit) quo ſubſecuto, etiam periculo debitor liberabitur, & ius pignorum tolletur: cùm Seruiana etiam actio manifeſtè declaret pignoris inhiberi perſecutionem vel ſolutis pecuniys, vel ſi per creditorem ſteterit quo minus ſoluantur. Quod etiam in traiectitiys ſeruari oportet: creditori ſcilicet actione utili ad exa-*

*ctionem*

*ctionem earum non aduerſus debitorem, niſi forte, eas receperit, ſed cõtra depoſitariũ, vel ipſas competente pecunias.*

Initium huius legis expoſitum eſt ſub l. ſi creditor, 6. ſ. h. t. Quæ uerò ad hypothecariã pertinent, ſub l. 3, ĩ. de mit. pignor.

*Ad l. 20.*

Idem A. Aelio.

*Conſtitutionibus ſacris, quæ ultra certum modum uſuras fœnebris pecuniæ exigi prohibent, mãdatoribus etiã vel fideiuſſoribus ſubuentum eſt: quibus quaſi mãdator vel fideiuſſor conuentus vti potes.*

An mandator & fideiuſſor beneficio conſtitutionum, quæ uſuras ultra certum modũ exigi prohibuerunt, uti poſsint. Sed dubitari poteſt, utras conſtitutiones intelligat: eáſne per quas certus uſuris modus impoſitus fuerat. Tum enim dubitandi ratio eſſe hæc potuit, quod antiquo iure quibuſdã in cauſsis, durior erat mandatoris & fideiuſſoris, quàm rei principalis conditio: ueluti, ut iudicati faciendi induciæ reo darentur, fideiuſſori non darentur. quod tamen abrogatur per l. ult. ſ. ult. C. de uſur. rei iud. An uerò intelligat eas cõſtitutiones, quæ prohibent (ut ait textus)

ne

ne plus quàm legib. præſcriptum eſt, exigatur, hoc eſt, quibus permiſſum eſt detracto ſuperfluo, quantum ille modus patitur, exigere, l. placuit, 29. D. h. t. ubi uerbum PLACVIT, ad conſtitutiones referendũ eſt. Tum enim cauſſa dubitãdi hæc eſſet, quoniã cum illæ conſtitutiones ſingulari iure introductę ſint, (quippe, cùm conuentio contra leges facta, nullius momenti ſit, l. 7. §. prętor ait, D. de pact.) quod ſingulari iure introductũ eſt, nõ eſſet trahendũ ad conſequentias: ac proinde beneficium illud Principis ad ſolos debitores pertinere uideatur. C.T.R. primùm, propter odium uſurarum, de quo iam ſæpè diximus: deinde, propter uſitatam regulam, Vt quæ principali reo defenſio parata eſt, eadem mandatori & fideiuſſori conceda tur, l. omnes, 19. D. de except. l. tam mãdatori, 12. C. de non num. pecun. Aliæ porrò conſtitutiones fuerunt, quæ fideiuſſoribus fauebant: de quibus in l. quæro, 54. D. locat.

## *Ad l. 21.*

Idem A. Chreſimo.

*Si uſuras præſtari pignore dato cõuenerat: & incõtinenti numeratione fama, poſtea vel ante, propter quod debitum ſolutionem feceras, non deſignaſti: habuit creditor in uſuras tibi accepto ferẽdæ ſolutæ quãtitatis facultatẽ.*

Pecunia

Pecunia ſtatim poſt contractam obligationem, & pignus pro uſuris datũ, ſimpliciter à debitore ſoluta, an imputari à creditore in uſuras poſsit. Nam hæc omnia in quæſtionẽ inducenda ſunt, & ſingula ſuo momẽto ponderanda. primum quòd pecunia incõtinenti poſt contractam obligationem à debitore ſoluta eſt, quod nominatim fieri pro uſuris poſſe, conſtat ex l.4.§. ult.l. qui in futurũ, 57. D.de pact.l.qui Romę,122.D.de uerb.oblig.l.2.§.non malè. D.de dol.except. deinde quod pignus ad obligationẽ acceſſerat, unde Ius retentionis etiam ob naturale debitum creditori naſcitur.l.4.ſ. h. t. Sed alia quæſtio eſt, quam & Græci, & Latini ad hanc legem accommodarũt: An ſimpliciter ſolutum imputari à creditore in uſuras poſsit: quæ deciditur in l.1. C.de ſolut.l.1.l.3 D.ill.tit. ut indiſtinctè à debitore ſolutũ creditor uſuris accepto ferre poſsit, cuius iuris æquitas perſpicua eſt: quia plurib. ex cauſsis debitũ & indiſtinctè ſolutum, in duriorem grauioremq; cauſſam imputatur. l. 1. & ſeqq. D.de ſolut. Vſurarum autem obligatio idcirco durior eſt, quia nõ re, & numeratione, & aliquo accepto, ut mutuum: ſed uerbis, & tantùm ob creditoris lucrum contrahitur. quæ cauſſa odioſa eſt, ut dictum eſt ad l. 5. ſ. h. t. Sed legis naturæ longè diſsimilis cauſſæ conſtitutio eſt: in qua dubitandi cauſſa ex eo naſcitur, quod

uſuræ

uſura nondum debebatur. Statim.n.& incontinenti poſt contractam principalem obligationem, pecunia ſoluta fuerat: ut potius in ſortem debitam, quam in uſuram indebitã numerata uideretur. C.T.R. hac, ut opinor, de cauſſa, quã nominatim textus expreſsit: quoniam pignus uſurarũ cauſſa datũ fuerat, cuius liberatio fauorabilis eſt: qua de cauſſa, ſola oblatione pecunię debitæ liberatur, l. Iulianus, 13. §. offerri. D. de act. empt. Pignus igitur ſtatim liberatum intelligitur, quod ſi datum pignus non fuiſſet, contrarium reſpondendum putarem, ut confeſtim facta numeratio non ad uſurarũ, quæ non debebantur, ſolutionem, ſed ad ſortis potius exonerationem ualere uideatur. Quinetiam eò fauorabilior pignoris liberatio uidetur, quo debitori obligatio durior eſt. nã cũ debitori ſoluẽti imputare in quãuis cauſſam, illã ſolutionẽ liceat, tamẽ creditori pignus uẽdenti ex contrario imputare in quãuis cauſſam, pretium ex uenditione redactum permittitur: etiam in id quod natura tãtum debebatur, l. in his, 5. §. imperator, l. ob triginta, 73. l. Paulus, 101. §. 1. D. de ſolut. l. cum & ſortis, 35 D. de pig. act. quippe, cum pignoris retentio ei in quamuis cauſſam etiam naturalem tantum, permittatur, l. 4. ſ. hoc tit. l. 1. C. etiam ob chirog. pec. hac nimirum de cauſſa, quod pignus uel ſimpliciter, uel etiam in certam

certam ſpeciem datum, in omnes tamē cauſſas retineri poteſt, l. quæſitū, 14. D. de pignor. l. naturaliter, 13. D. de cond. ind. Malè igitur intellectam hanc legem Græci ſic conuerterunt. ἐὰν ὁ χρεωστῶν κεφάλαιον καὶ τόκους, ἐν τῷ καταβάλλειν μὴ ἐμνημόνευσεν ἐπὶ τίνι καταβάλλει: ἐξουσίαν ἔχει ὁ δανειστὴς εἰ βούλεται εἰς τόκους, μόνον καταλογίζεσθαι τὰ καταβληθέντα. Neq; enim uſuræ iam debitæ ſolutæ ſunt, ſed antequam deberentur, repræſentatæ: ut ſup. demonſtratum eſt.

*Ad l. 22.*

Idem A. Corino.

*Pignoribus quidē interuenientibus, uſuræ quæ ſine ſtipulatiōe peti nō poterāt, pacto retineri poſſunt. Verū hoc iure cōſtituto, cū huiuſmodi nullo interpoſito pacto tātummodo certæ ſummæ præſtari pœnam conueniſſe proponas: nec peti, nec retineri quicquā amplius poteſt, et ad pignoris ſolutionem vrgeri te diſciplina iuris perſpicis.*

An ob pœnam nudo tantū pacto promiſſam, pignus quod pro ſorte tantum datū eſt, retineri poſsit. Qua de re dictū eſt ad l. 4. ſ. h. t. & demonſtratū ob uſuram retineri nō poſſe: niſi nominatim etiam pignus uſuræ nomine contractū ſit. Ex quo intelligitur eandē in his caſibus Pœnæ & uſuræ rationē eſſe: ut ex nudo utriuſq; pacto naturalis qdē obligatio naſcit̄, ac ꝓpterea ſolutæ cōdictio denegēt.

Pignus

Pignus autem pro ſorte duntaxat datũ neutrius nomine retineri poſsit cõtra regulam l. quæſitum, 14. in fi. D. de pignor. ut qua ex cauſſa naturalis obligatio cõſiſtit, ea ex cauſſa pignus perſeueret. Sed illa regula propter uſurarum odium ad principales tantùm naturales obligationes reſtringitur: ut ex h. l. & l. 4. cognoſci poteſt. Quòd cùm ita ſit, Scholiaſtæ Græci imperitia cognoſci poteſt, qui hanc legem ita conuertit: *παρακατεχέσθω μὲν τὸ ἐνέχυρον ὑπὲρ τῶν ἀπὸ συμφωνίας τόκων. εἰ μέντοι μὴ τόκος, ἀλλὰ πρός τιμον συνεφωνήθη, μήδε ἀπαίτησις ἔστω, μηδὲ ἐνεχύρου παρακατάσχεσις.*

## *Ad l. 23.*

### Idem A. Iaſioni.

*Oleo quidem, uel quibuſcunq; fructibus mutuo datis, incerti pretij ratio additamenta uſurarum eiuſdem materiæ ſuaſit admitti.*

An modus uſuris impoſitus etiam ad fruges mutuo datas pertineat. Nam additamentum uſurarum hoc loco non ſimpliciter pro incremento & acceſsione uſurarũ accipiendum eſt: ut apud Papin. in l. Imperator, 70. §. 1. D. de legat. 2. ſed pro exſuperantia uſuræ legitimæ. D.C.E. ut pertinere uideatur, neq; plus exigere liceat, quàm legitima uſurarum

ratio patitur: quoniam acceſsiones frugum ad ſortem in frugibus creditam, omnia deniq; fructuum & emolumentorum genera uſurarum nomine continẽtur: l. ſi ea pactione, 14. l. ſi ea lege, 17. ſ. h. t. C. T. R. ſi modò & ſors quæ reddi debet, & uſuræ eiuſdem materiæ, id eſt, eiuſdem generis ſint, cuius fuit ſors, quæ credita eſt. cuius legis æquitas in pretij frugũ inconſtantia & mutabilitate poſita eſt, quod pro uarietate locorum, temporum, annonæ uariari ſolet. §. loco autem, 30. Inſtit. de act. l. 3. D. de eo quod cert. loc. Qua de cauſſa olim frugum creditarum nomine quaternas centeſimas ſtipulari licebat: l. 1. C. Th. de uſur. At ſi non fruges, ſed pecunia credita eſt: aut fruges quidem creditæ ſunt, pecunia aũt ſoluenda eſt, legitimus uſurarum modus ſernandus erit: l. cùm non frumentum, 16. ſ. h. t. quod idem dicendum arbitror, ſi pro pecunia numerata creditę fruges ſunt: ut ijs diſtractis debitor pecunia uteretur. fraus enim facta legi intelligeretur. l. item ſi, 7. §. mutui. D. ad Maced. Quæ cũ ita ſint, malè Græci legẽ hanc ex iure antiquo ſine certæ ſummę definitione interpretati ſunt, hoc modo: *ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων ἔξεστι καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾶν διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν.* quod perquàm ineptum eſt. Cur enim apertè ſummã à Iuſtiniano definitam, hoc eſt, centeſimam non nominant? l. eos, 26. §. 1. ſ. h. t.

Ad l.

## *Ad l. 24.*

Idem A. Glauciæ.

*Si mater tua maior annis conſtituta, negotia quæ ad te pertinent, geſſerit: cùm omnem diligentiam præſtare debeat. uſuras pecuniæ tuæ, quam adminiſtraſſe fuerit comprobata, præſtare compelli poteſt.*

An negotiorum geſtor, pecuniæ, quam adminiſtrauit, uſuras debeat. D.C.E. ut ſine mora non debere uideatur: quoniam in bonæ fidei iudicijs uſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur. qua de cauſſa conductor uſuras mercedis niſi ex mora nõ debet: l. cùm quidã, 17. ſ. ſi pupillo. & §. ſeq. D. h. t. C.T.R. ſi modò eam in uſus ſuos cõuertit: ſic enim uerba illa interpretor: Quam adminiſtraſſe fuerit comprobata. quod conſentaneum eſt cum l. 6. & l. qui ſine, 38. D. de neg. geſt. & cũ eo quod de mandatario ſtatuitur in l. idéq;, 19. §. ſi procurator. & l. ſi uerò, 12. §. ſi mihi. D. mand. itemq; de depoſitario in l. 3. & l. 4. C. depoſ. Quid igitur, ſi negotiorũ geſtor eam pecuniam otioſam reliquit, ac ſepoſitam habuit, neq; uel fœnerauit, uel in ſuos uſus cõuertit? Tum uerò Scęuola reſpõdet, domini conſuetudinẽ ſpectandam eſſe. nam ſi domi-

nus fœnerari ſuam pecuniam non ſolebat, uſuras non debere, ſi ſolebat, igitur debere. Cuius rei ratio inueſtiganda eſt. nam mihi quidem ea uidetur, quã Imp. in h.l. commemorat, ad Scæuolæ potius, quàm ad ſuum inſtitutũ accommodatam: quoniam (inquit) negotiorum geſtor adhibere diligentiam omnem cogitur: hoc eſt, culpam leuiſsimam præſtare, quam ſic definio: non minoré diligentiam, ꝙ quantam diligentiſsimus quiſq; paterf. adhibere ſuis in rebus ſolet: l.5. §.3. & ſeq. D. commod. Vigilantes autem patresfa. ſuas pecunias otioſas relinquere nõ ſolent. Quę ſi ratiocinatio ualeat, certè non tantùm ſi pecunia negotiorum geſtor uſus eſt, eius uſuras debebit, ut Imp. hoc loco affirmat: uerum etiam ſi eam otioſam reliquerit. qua in ſententia uideo quoq; Paulum fuiſſe in l. atquin matura, 18. §. nõ tantum. D. de neg. geſt. Quare omiſsis iſtis Iuriſconſultorũ argutijs perſpicuè inter ſe pugnantib. ſatius erit, huius totius rei diſceptationem, in bonæ fidei iudicijs, arbitri prudentiæ & æquitati cõmittere: l.7. D. de neg. geſt. Poſtremò notandum eſt, quod Philippus Imp. ſcribit, omnem diligentiam à negotiorũ geſtore requiri: pugnare apertiſsimè cum Papiniano & Diocletiano, qui latam duntaxat culpam exigebant, l.39. §.2. D. de admin. tut. l. tutori, 20. D. de neg. geſt. Sed de huius iuris uarietate & in-

con-

conſtantia alius mihi differendi locus conſtitutus eſt.

### *Ad l. 25.*

Imp. CONST. A. ad populum.

*Pro auro & argento & ueſte facto chirographo, licitas ſolui vel promitti vſuras iuſſimus.*

An chirographo pro ſpeciebus facto, fœnus promiſſum debeatur. D.C.E. quoniam fœnus, quod mutui appendix eſſe ſolet, non niſi earum rerũ eſſe poteſt, quæ in mutuum conueniunt: hoc eſt, quæ pondere, numero, menſura continentur: l. 2. D. ſi cert. pet. Factum auté aurum, uel argentum, aut ueſtis, non ſunt ex illo genere. quoniã utendo non continuò conſumuntur: l. 3. §. ult. D. cõmod. qua de cauſſa earum rerum nomine neq; fœnus, neq; uſuras exigi permittitur: l. 3. §. ult. D. h. t. C. T. R. ita tamen, ſi chirographũ earum nomine factum eſt: h. e. ſi cõmuni partium placito æſtimatæ ſunt. quoniã æſtimata res pecuniæ uice fungitur, l. rogaſti, 11. D. ſi cert. pet. l. ſi pro mutua, 8. C. ill. tit.

### *Ad l. 26.*

Imp. IVSTINI. A. Mennæ præf. prætorio.

*Eos qui principali actione per exceptionem*

 *trigin-*

*triginta uel quadraginta annorum, ſiue perſonali, ſiue hypothecaria ceciderunt: iubemus non poſſe ſuper uſuris uel fructib. præteriti temporis aliquam mouere quæſtionem, dicendo ex hiſdem temporibus eas uelle ſibi perſolui, quæ nō ad triginta uel quadraginta præteritos annos referuntur, aſſerendo, ſingulis annis earū actiones naſci: principali enim actione nō ſubſiſtente, ſatis ſuperuacuum eſt, ſuper vſuris vel fructibus adhuc iudicem cognoſcere.*

*¶ Super vſurarum uero quantitate etiam generalem ſanctionem facere neceſſarium eſſe duximus, ueterem duram & grauiſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoq; iubemus, illuſtribus quidem perſonis, ſiue eas præcedentibus, minimè licere ultra tertiam partem centeſimæ, uſurarum nomine in quocunq; contractu uili uel maximo ſtipulari. Illos uero, qui ergaſterijs præſunt, uel aliquam licitam negotiationem gerunt, uſq; ad beſſem centeſimæ uſurarum nomine in quocunq; contractu ſuam ſtipulationem moderari. In traiectitijs autem contractibus, vel ſpecierum fœnori dationib. vſq; ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat conceſſum.*

*Cæteros autem omnes homines dimidiam*

*tan-*

*tantummodo centeſimæ uſurarū nomine poſſe ſtipulari: & eam quantitatē uſurarum etiam in alijs omnibus caſibus nullo modo ampliari, in quibus citra ſtipulationem exigi vſuræ ſolent: nec liceat iudici memoratam augere taxationem, occaſione conſuetudinis in regione obtinentis. Si quis autem aliquid contra modum huius fecerit conſtitutionis, nullam penitùs de ſuperfluo habeat actionem: ſed etſi acceperit, in ſortem hoc imputare compelletur, interdicta licentia creditorib. ex pecunijs fœnori dandis aliquid detrahere, uel retinere ſiliquarum nomine, vel ſportularum, vel alterius cuiuſcunq; cauſæ gratia. Nam ſi quid huiuſmodi factum fuerit: principale debitū ab initio ea quantitate minuetur, ut tam ipſa minuenda pars, quàm uſuræ eius exigi prohibeantur. Machinationes etiam creditorum, qui ex hac lege prohibiti, maiores vſuras ſtipulari: àlios medios ſubijciunt, quibus hoc non ita interdictum eſt, reſecantes: iubemus ſi quid tale fuerit attentatum, ita vſuras computari, ut neceſſe eſſet, tanquam ſi ipſe qui alium interpoſuit, fuiſſet ſtipulatus. in quo caſu ſacramenti etiam illationē locum habere ſancimus. Dat. Conſtantinop. Iuſtiniano Coſ.*

Initiò ſtatuit uſurarum & fructuum petitionem exſtingui penſonali actione, triginta: hypothecaria, quadraginta annis perempta. quamuis enim actio perſonalis ſublata ſit, tamẽ manente hypothecaria, retineri ob uſuras hypotheca poteſt: cũ perſonali ſublata, non utiq; etiam ſublata hypothecaria intelligatur: l. deducta, 58. D. ad Trebell. l. 2. C. de luit. pign. Quamuis ergo regulariter malæ fidei poſſeſſor fructus reſtituere cogatur, nõ modò quos percepit, uerumetiam quos percipere potuit: l. ſi fundum, 17. l. domum, 5. C. de rei uind. l. ſi nauis. ℘. generaliter. D. ill. tit. tamẽ ſi principalis rei actio per longi temporis præſcriptionem ſublata eſt, fructuum etiam actio ſublata intelligitur. Quę uerò legis huius ſtatuendæ occaſio fuerit, Imp. illis uerbis ſignificat: Aſſerendo, ſingulis annis fructuum & uſurarum actiones naſci. Actores enim contendebant, Legem de 30. annorũ præſcriptione idcircò ad uſuras & fructus referri nõ poſſe, quoniam fructuum & uſurarum actio ſingulis annis naſcitur. nam annus ſortis triceſimus, annus eſt uſurarum primi anni tantùm uiceſimus nonus: ſecundi anni uiceſimus octauus: tertij uiceſimus ſeptimus, atque ita deinceps. Statuit igitur Imp. ut principali obligatione per longi temporis ſpatium ſublata, etiam acceſſoria ſublata intelligatur: ſiue illa ad uſuras, ſiue ad

fructus

fructus pertineat. Quanquã ſi fructuũ certo tempore præſtandorum obligatio per ſe & principaliter conſiſtat, neq; alteri obligationi accedat, & à debitore nihil per tot annos petitum fuerit: etſi à fructib. primi, ſecundi, aut tertij poſt contractam obligationem anni per longiſsimum tempus liberatus ſit, ſequentium tamen annorum fructus prçſtare cogitur: l. cũ notiſsimi, 7. §. in his. C. de præſc. trig. uel qudr. ann. Secundo loco Imp. modum uſuris imponit, ne qui pecunias mutuantur, grauitate fœnoris trucidentur. Modum autem illum definit pro ratione eius, quod cuiuſq; creditoris intereſt uſu ſuæ pecuniæ carere: quandoquidem hic color & πρόφασις ab ijs quçritur, qui pecunias ſuas fœnerantur. Illuſtribus igitur & ſuperilluſtribus, quorum pleriq; ſuas pecunias non exercent, trientem tantùm permittit. Argentarijs uerò negotiatoribus & mercatoribus, quorum inſtitutum eſt ſuas pecunias laboribus & operis ſuis exercere, beſſem. quod Nou. 136. ualere uult etiam ſi ſimpliciter de uſuris conuenerit, atq; adeò, ſi ne conuenerint quidem, ut tamen tacitè bes illis debeatur. quod cõtrà in alijs perſonis obſeruatur: l. quod adijci, 32. D. h. t. Cæteris autem perſonis omnibus Imp. ſemiſſes uſuras permittit. Tertio loco ſtatuit, ut hic modus non tantũ in uſuris creditarũ pecuniarum obſeruetur,

uerumetiam in alijs omnib. hoc eſt, etiam quæ ex mora, officio, arbitrioq́; iudicis permittuntur: quarum modus antiquo iure nullus fuit. nam mos cuiusq; regionis ſeruabatur, & iudicis tanquam uiri boni arbitrio res committebatur. l.1. & alijs ſimilib. D. h. t. Quarto loco centeſimā duobus caſibus permittit: nimirum traiectitiæ pecuniæ nomine: de quo tit. prox. differetur: & frugum creditarum. de quibus iam dictum eſt ſub l. oleo, 13. ſ. h. t. Quinto loco legis ſanctio ſubiungitur, iuris ueteris diſsimilis. nam antiquo iure, qui legitimum uſurarum modum exceſſerat, præter infamiam quadrupli damnabatur. l. improbum. C. ex quib. cauſſ. infam. & l. 2. C. Th. de uſur. Poſt conſtitutum eſt, ut ſuperfluo detracto uſq; ad legitimum modū agere liceret: l. pecuniæ, 9. & l. placuit. D. h. t. à quo nihil alienum Imp. conſtituit. nam quod ſupra modum exactum erit, ſorti imputari iubet, quod idem iure antiquo ſeruabatur. l. ſi non ſortem, 26. D. de cond. indeb. Sexto uetat, ne fœneratores ſiliquarum & ſportularum nomine aliquid detrahant. *προφάσει τῶν λεγομένων κερατίων ἢ συνηθειῶν*: ut eſt in Baſilicis libris. quæ munuſcula erant à fœneratoribus, quaſi corollarij cauſſa retineri ſolita, ſed in pecunia: ueluti, cùm centū credebant, quinq; aut ſex, corollarij cauſſa retinebant: quibus Imp. minui obligationem

iubet,

iubet: ut eatenus demũ debitor obligetur, quatenus ei numeratum eſt. l.ſi tibi,17.D. de pact. Poſtremo fraudem huic legi per interpoſitas perſonas fieri uetat: ueluti, ne illuſtris ſuppoſita mercatoris perſona beſſem ſtipuletur. qua de re iuſiurandum ijs etiam deferri permittit.

## *Ad l. 27.*

Idem A. Mennæ præfecto prætorio.

*De vſuris, quarum modum iam ſtatuimus, prauam quorundam interpretationem penitùs remouentes, iubemus etiam eos, qui ante eandem ſanctionem ampliores quàm ſtatuta ſunt, uſuras ſtipulati ſunt, ad modum eadem ſanctione taxatum ex tempore lationis eius ſuas moderari actiones: ſcilicet illius temporis, quod ante eam defluxit legem, pro tenore ſtipulationis vſuras exacturos. Curſum inſuper vſurarum vltra duplum minimè procedere concedimus, nec ſi pignora quadam pro debito creditori data ſint, quorum occaſione quædam veteres leges & vltra duplum vſuras exigi permittebant. quod & in bonæ fidei iudicijs, cæteriſq́; omnib. caſibus, in quibus uſuræ exiguntur, ſeruari cenſemus.*

Principio ſtatuit,ut ſua conſtitutio de modo uſurarum etiam in eas uſuras ualeat, quę ante conſtitutionem illam pactæ conſtitutæq; fuerant,quod ius ſingulare eſt nam ordinarium eſt,ut leges in futurum tempus ualeant:l.diuæ memoriæ,65.C.de decur.extraordinarium,ut in præteritum tempus retrotrahantur:l.ult.C.de pact.pign. Secundo loco,nouo iure ſtatuit, ut uſuræ duplum ſortis, id eſt, alterum tantum,quantum in ſorte non excedant: etiam eo caſu,qui à me iure antiquo exceptus erat, cùm uidelicet earum nomine contractum pignus fuerat: qui tamen fuit caſus ſingularis. nam ob illicitas aut immodicas uſuras pignus non temerè conſtat ex l. ſolutum, 11. §. 2. D. de pign. act. l.pretij,19. C.mandat.

*Ad l.vlt.*

**Idem A. Demoſtheni præfecto prætorio.**

*Vt nullo modo vſuræ vſurarum à debitoribus exigantur, & veteribus quidem legibus conſtitutum fuerat, ſed non perfectiſſimè cautum. Si enim vſuras in ſortem redigere fuerat conceſſum, & totius ſummæ uſuras ſtipulari: quæ differentia erat debitoribus, à quibus reuera uſurarum uſuræ exigebantur? Hoc certè crat*

*tè erat non rebus, ſed uerbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertiſſima lege definimus, nullo modo licere cuiquam, vſuras præteriti temporis uel futuri in ſortē redigere, & earum iterum uſuras ſtipulari. Sed etſi hoc fuerit ſubſecutum: uſuras quidem ſemper uſuras manere, & nullum uſurarum aliarum incrementum ſentire: ſorti autem antiquæ tantummodo incrementum uſurarum accedere.*

Cùm antiquis legibus uetitum fuiſſet, ne uſuras uſurarum exigere liceret:l.placuit,29. D.h.t. l.ſi non ſortem, 26.§. 2. D.de cond. indeb.inuenta erat fraus à fœneratoribus,ut uſuras debitas in ſortem redigerēt: nimirum ſtipulatione uſurarum poſt aliquod tempus per nouationem transfuſa in ſtipulationem eiuſdem ſummæ: ut coniunctę ſummæ tanquā ſortis unius uſuras exigerent,qui à Gręcis ἀνατόκισμος,à Cicerone Fœnoris renouatio appellatur: cùm reuera nihil niſi nouatio ſit. Hanc igitur fraudem & renouationē Imp. admitti uetat. quod idē in uſuris rei iudicatę ſtatuit, cùm uſurarum in condemnationem deductarū uſuras antiquo iure exigi liceret: l.1.C.de uſur.rei iud,l.1.C. Th.eod.tit.

FINIS.

FRANC

tere uideatur: quoniam Antichreſis eſt conuentio, ut quamdiu debitor creditoris pecunia utetur, tandiu creditor illius prędio fruatur: l. ſi is qui, 11. §. 1. D. de pignor. in quo commutatiuæ iuſtitiæ locus eſſe uidetur: cuius ſummus eſt in iure noſtro uſus, ueluti cùm alter alterius boue alternis uicibus utitur: l. ſi gratuitam, 17. §. ſi cùm unum. D. de pręſc uer. aut duo præbent inter ſe operas mutuas: ueluti, ut alter in alterius ſolo ædificet. l. 5. §. ſed ſi facio. D. il. tit. Contrariũ tamen Turonenſi concilio rectiſsimè decretum eſt: propter diuini iuris auctoritatem: quo uetitũ eſt, ne ullum ad ſortem acceſsionis genus exigere liceat, ſiue in pecunia numerata, ſiue in frugib. aut eſculentis, aut potulentis, alióue incrementi genere, Exod. 22. Leu. 25. Ezec. 18. quandoquidẽ omne acceſ ionis genus etiam ciuili iure fœnus nominatur. l. ſi ea lege, 17. C. h. t. Itaq; quod Epiſcopi clericis, id Imp. Iuſtinianus cæteris omnibus agricolarum reſpectu interdixit. Nou. 32. & ſeqq. Atq; hæc quidem de creditis ſub pignore pecunijs intelligenda ſunt. nam in bonæ fidei contractibus fructus uſurarũ loco percipere Papa permittit in c. ſalubriter, 16. ĵ. h. t. Obiectionis autem ſolutio eſt, quòd non ut fundus per ſe fructuoſus eſt, ita pecunia per ſe eſt frugifera. deinde, quòd fundus neq; in creditoris dominio, neq; ipſius periculo eſt: itaq; cre-

ditor,& ex re aliena fructum percipit, & cuius ad alium periculum pertinet. At pecunia cùm in debitoris dominio, tum ipſius periculo eſt: quapropter cùm re ſua fruitur, tũ ea, cuius ad ſe periculum ſpectat. Diuini autem iuris ęquitatem ad tuendam generis humani ſocietatem accommodatam fuiſſe, ſatis dilucidè in diſputatione de Iure fœnoris expoſuimus. Atq; hæc quidem, quæ iuri diuino cõſentanea ſunt, rectiſsimè ab Epiſcopis definita ſunt. Sed exceptio, quæ ſubiungitur, ut à iure diuino aliena, ſic inepta atq; abſurda eſt: ut clerico liceat pecuniam ei laico credere, qui beneficium ſiue feudum eccleſiæ detinet: ea lege, ut clericus creditor fructus ex eo feudo percipiat. nam ſi laicus iuſta ex cauſſa feudũ poſsidet, ueluti ex cauſſa pignoris: æquè deinceps fœnerabitur clericus eccleſiæ, ut antea laicus faciebat. quòd ſi aduerſus Laicos exercere fœnus nõ licet, quanto minus aduerſus eccleſiam licebit? Sin malę fidei poſſeſſor erat laicus: primùm, ſi per magiſtratum licuit, iure cum eo agendum fuit: & feudum per œconomum eccleſiæ uindicandum: quòd ſi hoc non licuit, ec= quis quæſo futurus eſt exitus? nam ſi uerè contrahitur antichreſis, tum reddita quandoq; à laico pecunia, prædium ei reſtituendum erit. quòd ſi non antichreſis contrahitur, ſed ea lege pecunia laico poſſeſſori datur,

tur, ne unquam ea reddita repetere prędium poſsit: quid hoc ad propoſitam de antichreſi quæſtionem, aut qua ex parte hæc exceptio ad ſuperiorem regulam pertinet? nihilo magis certè, quàm ſi malæ fidei poſſeſſori pecuniæ aliquantum, ut meam mihi poſſeſsionē ſine litiū & iudicij moleſtia redderet, adnumerarem: quę uera & propria tranſactio eſt, ſed ab antichreſis quæſtione nihilo minus, quàm meridies ab illuni nocte aliena l. 2. l. ſi ſuper, 9. C. de tranſact.

## *Ad c. 2.*

*Quoniam non ſolum viris eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet alijs periculoſum eſt vſurarum lucris intendere: auctoritate præſentium duximus iniungendum, ut eos, qui de poſſeſſionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noſcuntur, ſortem (deductis expenſis) receperunt: ad eadem pignora reſtituenda ſine uſurarum exactione eccleſiaſtica diſtrictione compellas.*

Si eadem huius capitis quę ſuperioris ſententia eſt, ut Decretaliſtæ ſentiunt, abſurda eſt inculcatio, Sin autem diſsimilis, (ut illis uerbis ſignificatur SINE VSVRARVM EXACTIONE) quæſtio ita cōſtituenda eſt: An qui uſuras ſtipulatus, tātum in fructibus

 percepit,

percepit, quantum fuit in ſorte, uſuras petere nihilominus poſsit. Qua quæſtione (poſito & recepto ſuperioris capitis iure) nihil ineptius fingi poteſt, nam ſiue ius ciuile ſpectemus, prius in uſuras imputari fructus oportuit, quàm in ſortem, l. 1. C. de ſolut. l. 1. l. 3. D. ill. tit. ſiue ſuperius concilium, abſurdum eſt dubitare, cui antichreſim exercere non licet, an ſorte ex fructibus recepta, uſuras exigere liceat: cùm ſimpliciter omnis uſurarum ſtipulatio Eccleſiaſtico iure interdicta fuerit. Nicen. cap. 17. Synodi Conſtantin. habitæ in Trull. can. 10. Concilij Eliterini can. 20. tom. 1. & Aquiſgranenſis Concil. can. 40. tom. 3. Arelarenſis prim. can. 12. tom. 1. Arelaten. ſecund. can. 14. tom. 1. Laodicenſ. can. 4. tom. 1. Aurelian. 3. can. 26. tom. 2. Aquiſgran. cap. 92. tom. 3. Neque minus abſurda eſt alterius Papæ conſtitutio in c. cùm contra, 6. ſ. De pignor. ubi iubet creditorem, ſi iam diuturna poſſeſsione ex fructibus ſortem redegit, pignus reſtituere. nam ſi ab initio uel de uſuris, uel de fructibus uſurarum uice percipiendis conuenerat, contractus ipſo iure nullus erat, ut ex ſup. cap. intelligitur. Sin autem gratuitum mutuum fuerat, non fuit quærendum aut exſpectandum an fructus ſortem exæquaſſent, cùm uel minima eorum pars in ſortem imputari, & reliqua pecunia ſoluta liberari pignus potuiſſet,

tuiſſet,

tuiſſet, l. 2. l. 3. l. ult. C. de pig. act. l. 1. C. de diſt. pign.

## *Ad cap. 3.*

*Quia in omnibus ferè locis ita crimen uſurarũ inualuit, ut multi (alijs negotijs prætermiſſis) quaſi licitè uſuras exerceant, & qualiter vtriuſq; teſtamenti pagina cõdemnentur, nequaquam adtendant: ideoq; conſtituimus, quòd uſurarij manifeſti, nec ad communionẽ admittantur altaris, nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato deceſſerint) accipiãt ſepulturam; ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ: & quæ acceperit, reddere compellatur: & donec ad arbitrium epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.*

Qua ex parte fœnerationem damnat, iuri diuino conſentaneum eſt: ſed quà uetat eos qui receptam conſuetudinẽ ſecuti, quaſi licitè (ſic.n.loquitur) uſuras exercẽt, aut in communionẽ Chriſtianorũ recipi, aut Chriſtianę ſepulturæ mandari: uideamus, ne durius imperitis hominibus conſulatur. nam Principum Chriſtianorũ legibus permiſſam fœnerationem fuiſſe, uelut Conſtantini & Iuſti-

 niani,

niani, nemo neſcit. Leo quoq; Philoſophus Baſilij patris ſui legē, qua fœneratione dam-narat, abrogauit: ratus, aliter non ſatis commodè generi hominum poſſe conſuli. quid igitur, ſi homo imperitus eas leges ſecutus palàm & publicè uſuras exercuerit? Iacob quatuor uxores habuit, quod quando mos erat, crimen non erat: ait Auguſtin. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 47. quòd relatum eſt in 32. q. 4. C. obijciuntur. An non palam delinquentes propter errorem & iuris ignorantiam à grauiore pœna excuſantur? l. ult. D. de rit. nupt. an non tyroni diſciplinā adhuc ignoranti ignoſci ſolet? l. 4. in fin. D. de re milit. denique an non crimē, excuſat ignorantia? l. tutor, 16. §. 1. D. de pig. act. Monitionibus igitur prius utendum erit, quàm exſecrationibus: ne iuris ignorantia pro crimine puniatur. contra l. ſi adulterium, 38. §. 1. D. de adulter. Et hoc idem concilij Eliberini præceptum eſt, habiti tempore. Conſtantini Imp. Siquis etiam laicus (inquit) accepiſſe probabitur uſuras, & promiſerit correptus ſe iam ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placet ei ueniam tribui: ſi uerò in iniquitate durauerit, ab eccleſia ſciat ſe eſſe proijciendum.

*Ad cap. 4.*

*Super eo uerò: Reſpondemus; quod cùm uſura-*

*vſurarum crimen vtriuſque teſtamẽti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus: quia cùm ſcriptura ſacra prohibeat pro alterius uita mentiri: multo magis prohibendus eſt quis ne etiam pro redimenda uita captiui, vſurarum crimine inuoluatur.*

An pro redimenda captiui uita pecuniam ſub uſuris mutuari liceat? Dub. cauſſam Alexander hanc eſſe ſignificat, quaſi ſi non licet pecuniam ſub uſuris dare mutuo, neque accipere liceat. quod uidetur eſſe argumentum ex relatis firmiſsimum: ut illud apud Demoſthenem: Si portorium locare honeſtum eſt, etiam conducere honeſtum eſt, quaſi hoc eodem modo ratiocinari liceat: Si pecuniam locare non liceat, nec conducere licebit. Nam hoc eodem modo ſicut uendere uenenum non licet, ita nec emere permittitur, l. quòd ſæpè, 35. §. ueneni. D. de contr. empt. Sed ego contrariam ſententiam ueriorem eſſe arbitror, quoniã uſura non per ſe ſcelus eſt: ut ex dotis, aut legati, aut pretij tardius ſoluti uſura intelligitur. uſuræ, inquam, uitium non ex re, ſed ex perſona, uel potius ex perſonæ uitio æſtimatur. nam quid ita fœneratio lege Dei damnatur? nimirum quia fœneratoris conſilium eſt, ex fra-

tris egeſtate & inopia lucri faciendi occaſionem quærere, in quo eius crudelitas & inhumanitas apparet: cùm potius miſericordia & benignitate uti in ſubleuanda fratris inopia deberet. At non idem, ſed longè diuerſum debitoris conſilium eſt, qui nihil aliud quærit, quàm ut præſenti ſuæ inopiæ & neceſsitati ſubueniat. Fœnerator deniq; iniuriã facit, ut fur, aut ereptor: debitor accipit, ut cui furtum fit, aut aliquid eripitur. Quare ſi uoluntas & propoſitum diſtinguunt maleficia, in quo delinquendi uoluntas non fuit, in eum culpa conferri non poteſt. l. qui iniurię, 53. D. de furt. Et hac de cauſſa cum prouinciarum rectoribus interdictum eſſet, ne fœnori pecunias darent, tamen liberum fuit fœnori pecunias accipere. l. præſidis, 34. D. ſi cert. petat. Quæ cùm ita ſint, quàm ſtulta & ſtolida illa Papæ decretalis uidetur, ut ne uitæ quidem captiui hominis redimendæ cauſſa pecuniam ſub uſuris accipere liceat, & ſi fortè accepta ſit, ne dare tanti facinoris ueniam liceat: cùm tamen redimendorum captiuorũ cauſſa, eccleſiæ bona uendi oppignerariq; permittatur nõ modò ciuili iure, l. ſancimus, 18. C. de ſacroſ. eccleſ. uerùm etiam iſto decretaliſtico, ex D. Ambroſij ſententia 12. q. 2. c. aurum. Eiuſdemmodi eſt illud Papæ argumentum: Si pro aliena uita mentiri non licet, nec pro aliena uita mutuari ſub uſuris licet. Culpantur

pantur quidẽ Abrahamus & Iſaacus, quòd uitandi periculi cauſſa uxores ſuas, mentiti eſſent ſuas eſſe ſorores. Quinetiam obſtetrices Pharaonis edicto non paruerũt: & mendacio puerorum uitam è tyranni faucibus liberarũt, neq; Papa ullam poſſet in Scriptura ſacra legem his conceptam uerbis oſtendere: Pro aliena uita non mentieris. Verùm ut poſsit, quid ſimile inter mendaciũ & mutuationẽ ſub uſuris factá. nam mendaciũ dicere per ſe ſcelus eſt. Pſal. 5. uerſic. 7. & Iob. 13. uerſ. 7. at mutuũ ſub uſuris famis depellẽdæ, aut ſalutis quoquo modo conſeruandæ cauſſa capere, ſi ſcelus eſt: quantũ Dauidis & aliorũ ſcelus fuit, qui ne ſacris quidem panibus famis depellendæ cauſſa pepercerunt? Diſcipulos, cũ ꝑ ſegetes trãſeuntes die Sabbathi euellerẽt ſpicas & ederẽt, ipſius Chriſti uox innocẽtes appellat, qa coacti fame id fecerũt: ait Auguſtin. c. diſcipulos, de conſecr. diſt. 5. Quid? nũquid Papa propter neceſsitatẽ famis aut nuditatis furari ꝑmittit? c. 3. ĩ. De furt. & uitæ conſeruãdæ cauſſa carnibus in quadrageſima contra ſua interdicta ueſci, c. carnem, De conſecrat. diſt. 5.

*Ad cap. 5.*

*Cum tu manifeſtos vſurarios iuxta decretum noſtrũ, quod nuper in concilio promulgatum eſt, communione altaris, & eccleſiaſtica*

*præceperis ſepultura priuandos donec reddāt, quod tam praue receperāt: quidam eorum (ad excuſandas excuſationes in peccatis) impudenter adfirmant, illas duntaxat uſuras reſtituendas, quæ ſunt poſt interdictum noſtrum receptæ: Super his fra. t. t. t. quod ſiue poſt interdictum noſtrum vſuras extorſerint, cogendi ſunt per pœnam, quā ſtatuimus in concilio, eas his, à quibus extorſerunt, vel eorum hæredibus reſtituere, vel (his non ſuperſtitibus) pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipſis poſſint eas reſtituere: cùm iuxta uerbum beati Auguſtini, Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatū. Illi autem, qui non habēt in facultatibus, vnde vſuras valeant reſtituere, non debent vlla pœna mulctari, cùm eos nota paupertatis euidenter excuſet. Poſſeſſiones uerò, quæ de vſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum precia his, à quibus vſuræ ſunt extortæ, reſtitui: vt ſic non ſolùm à pœna, ſed etiam à peccato poſſint (quod per vſurarum extorſionem incurrerant) liberari.*

In hoc cap. hoc abſurdum eſt, quod cùm Papa pro Iuriſconſulto ſtatuat, uſuras ijs, à quibus exactæ ſunt, eorumúe heredibus reddendas, tamen earum uſuras prætermittit.

mittit. Hoc enim caſu non uſura uſuræ, non acceſsionis acceſsio exigetur: ſed cùm uſuræ per fœneratorem exactæ ſortis locum obtineant, conſentaneum eſt iu reſtituendo earum quoque uſuras deberi: ſicut in l. uxori, 24. D. de uſuf. legat. & l. idemque, 10. §. ſi procurator D. mand. qua de cauſa cum fructus ſortis locum obtinent, eorum etiam fructus præſtantur l. illud quoque, 40. §. prædo. D. de hered. pet. Similis imperitia illa eſt, ut prædia ex uſuraria pecunia comparata uendantur, & eorum pretia ijs à quib. uſuræ exactæ ſunt, attribuātur: fructuum tamen à fœneratoribus interea perceptorū nulla ratio habeatur. quos tamen ab omnibus malæfidei poſſeſſoribus reſtituendos eſſe conſtat l. uideamus, 38. cum ſimilib. D. de uſur. l. domum, 5. l. certū eſt, 22. C. de rei uindic. Neque diſsimilis illa noui iuris ratio eſt, ut prædia ex fœnebri pecunia cō parata uendantur: quid enim ſi à fœneratoribus ad tertium bonæ fidei poſſeſſorem peruenerint? An non adhiberi diſtinctionem oportuit, utrum ex lucratiua an oneroſa cauſa perueniſſet. Præterea quid ſi malit is à quo uſuræ exactæ ſunt, prædia ipſa retinere, quàm pretium uenditoris habere: quid opus erit uenditione? Eodem accedit, quod harum rerum omnium nomine nulla conſtituitur actio. nam uindicari ea prædia per eos qui uſuras ſoluerunt, non poſſunt: cum regulariter res

ter res in prætij locum non ſuccedat.l.6.l.8.C. de rei uind.l.ad probationē, 21.C.de probat.

*Ad c. 6.*

*In ciuitate tua dicis ſæpe contingere, quòd cùm quidam piper, ſeu cinamomum, ſeu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinq; libras non valent, & promittunt ſe illis, à quib. illas merces accipiunt, ſex libras ſtatuto termĩnõ ſoluturos. Licet autem cōtractus huiuſmodi ex tali forma non poſſit cenſeri nomine vſurarum, nihilominus tamẽ venditores peccatum incurrunt, niſi dubiũ ſit merces illas plus minúſue ſolutionis tempore ualituras: & ideq; ciues tui ſaluti ſuæ bene conſulerent, ſi à tali; contractu ceſſarent: cùm cogitationes hominũ omnipotenti deo nequeunt occultari.*

An ualeat pactum, ut res propter moram ſolutionis pluris iuſto pretio uendatur. Piper aut cinamonum quod quinque ualebat, uenditum eſt ſex ea lege, ut ſolutio in aliquod tempus differretur. Quæritur, an ea conuentio probanda ſit? Papa reſpondet eſſe peccatum, & ab illo contractu abſtinendum: quod idem rurſus inculcat in c. conſuluit, 10. j. h. t. Ex quo ſupina iuris ignorantia perſpicitur: neque enim emptiones, uenditiones, locationes, conductiones ad iuſti uerique pretij rationem reuocari poſ-

cari poſſunt, naturaliter licet contrahentibus ſeſe circumuenire: hoc eſt, uix unquam contrahi emptiones & uenditiones poſſent, ſi iuſti pretij ratio ſemper exactè haberetur. l. in cauſſæ, 16. §. 1. D. de min. l. item ſi, 22. §. ult. & l. ſeq. D. locat. Itaque prætextu maioris aut uilioris pretij emptio non reſcinditur. l. 4. l. quiſquis, 15. C. de reſc. uend. l. 1. §. ſi quis. D. ſi quis in fraud. pat. quod idem de locatione dicitur in l. & ideo, 23. D. loc. & l. ſi ea pactione, 14. C. de uſur. Quod ſi rem quæ quinque digna eſt, etiam præſenti numerata pecunia ſex uendere permittitur, quanto magis moræ & dilationis cauſſa id permittendum eſt, præſertim cùm etiam abſque ſtipulatione aut pacto emptor pretij tardius ſoluti uſuras debeat: idque æquitatis ratione, ut ait Imp. in l. 2. C. de uſur. hoc eſt, propter rationem bonæ fidei: quoniam emptor ex re fructus percipit. l. Iulianus, 13. §. ex uendito, D. de act. empt. l. curabit, 5. l. fructus, 13. C. ill. tit. quid. n. ſi piperis aut cinamomi emptor, paucis illis uel diebus uel menſibus illud caro uendiderit, magnumque ex eo compendium fecerit: cui dubium eſt, quin non modò uſuræ iure ab eo peti poſsint: uerumetiã ipſe iniuria ſit recuſaturus: cùm & ex re alterius lucrũ fecerit, & eiuſdem pecunia uſus ſit. Hæc cum ita ſint, cautio tamẽ adhibenda erit, ut quod illius

illius dilationis nomine exigetur intra legitimum uſurarum modum cōtineatur: ne fraus legi uſurarū facta uideatur: ut rectiſsime Papin. admonet in l. Iulianus, 13. §. ibidem Papin. D. de act. empt. cui coniungenda eſt l. cùm allegas, 15. ſed præſertim l. cùm non frumentum, 16. C. de uſur. ubi cōtrarium doloſę emptionis genus profertur: cùm emptor exiguā pecuniam repræſentat, ut magnus ei frumenti numerus quandoque tradatur. nam hanc quoque conuentionem intra legitimum uſurarum modum reſtringi iubet quo nihil æquius dici poteſt.

*Ad C. 7.*

*Præterea parœcianis tuis uſuras recipere interdicas, qui ſi parêre cōtempſerint, ſi clerici ſint, eos ab officio beneficioq́; ſuſpendas: Si laici, uſque ad dignam ſatisfactionem ipſos vinculo excommunicationis adſtringas.*

In hoc cap. illud abſurdum eſt, quod clericos, quos pietatis & continentiæ exemplum prębere aliis oportebat, ſi moniti fœnerari nō deſinant, tantùm ordine moneri iubet Laici uerò etiam exſecrationis & ex communicationis pœnam imponit: quinetiam mortuis ſepulturam denegat. C. 4. s̄. h. t. Pugnat etiam prior pars cum 14. q. 2. C. miniſtri: ubi miniſtri eccleſiæ fœneratores à communione arcētur.

*Ad C. 8.*

*Ad c. 8.*

*Conqueſtus eſt nobis C. clericus: Diſ. ſ. mandamus, quatenus ſi terram ipſam titulo pignoris detinetis, & de fructibus eius ſortem recepiſti, prædictam terram clerico memorato reddatis: Niſi terra ipſa de feudo ſit monaſterij veſtri.*

Huic ſatisfactum eſt ſub c. I. 1. ſ. h. t.

*Ad C. 9.*

*Tua nos duxit fra. conſulendos, quid ſit de vſurariorum filijs obſeruãdum, qui eis in crimine vſurarum defunctis ſuccedunt, aut extraneis, ad quos bona vſurariorum adſeris deuoluta? Tuæ igitur quæſtioni literis præſentibus reſpondemus, quod filij ad reſtituendas vſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui ſi viuerent, cogerentur. Id ipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercẽdũ.*

At etiam fœneratoris heredes ad uſuras reſtituendas teneantur. Papa ſimpliciter eos teneri reſpondet: neq; de illarum uſurarum uſuris quidquã adſcribit imperitè. nam ut heredes ex defuncti delicto teneri non debẽt, ita nec lucrũ facere ſi quod ad eos peruenit. l. ſicuti, 38. D. de reg. iur. l. 3. D. und. ui, & de ui arm. l. 1. C. ex delict. defunct. Quam cùm defuncti pecuniam ſuos in uſus conuerterunt, atq; eo nomine locupletiores facti ſunt, ęquũ eſt e-

eſt etiam uſuras uſurarum exigi.l.ſi plures,17. l.in heredem, 26. & l. ſeq. D. de dol. quippe cùm uſuræ illo caſu ſortis locum obtineant, ut dictum eſt ad c.5.ſ.h.t.

*Ad c.10.*

*Conſuluit nos tua deuotio, an ille in iudicio animarū quaſi vſurarius debeat iudicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, vt licet omni conuentione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat. Et vtrum codē reatu criminis inuoluatur, qui (vt vulgò dicitur) nō aliter parabolam iuramenti concedit, donec, quamuis ſine exactione, emolumentū aliquod inde percipiat. Et ea negotiator pœna conſimili debeat cōdēnari, qui merces ſuas lōgè maiori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quā ſi ei incontinēti pretium perſoluatur. Verùm quia, quid in his caſibus tenēdum ſit, ex euāgelio Lucæ manifeſtè cognoſcitur, in quo dicitur: Date mutuū, nihil inde ſperātes: huiuſmodi homines pro intētione lucri, quā habēt (cùm omnis vſura & ſuperabundātia prohibeatur in lege) iudicādi ſunt malè agere, & ad ea quæ taliter ſunt accepta reſtituēda, in animarū iudicio efficaciter inducēdi.*

An qui ea mente credit ut aliquid ſupra ſortem recipiat, quamuis nihil expreſſè con-

uene

uenerit, pro fœneratore habēdus ſit, uel breuius: An ſola cogitatio fœneratorem faciat. Papa reſpondet facere fœneratorem: & cauſam ſubiungit, quoniam Luc.6.ſcriptum eſt: Mutuum date, nihil inde ſperātes: quaſi ſola ſpes faciat fœneratorem: ac multo magis fœneratorem habēdum, qui quamuis nihil nominatim de fœnore conuenerit, aliquid tamen à debitore acceſsionis & incrementi accepit. Quantum ad primum, certum eſt, ſolā cogitationem humanis legibus, quibus occultæ cogitationes ignotæ ſunt, non uindicari: cùm ſolus Deus ſit (ut Scriptura loquitur) καρδιογνώστης. conatus uerò quamplurimis in caſibus uindicatur: quoniam in maleficijs uoluntas ſpectatur, non exitus. l. diuus, 14. D. de ſicar. quem locum copioſè tractauimus in lib. de feud. 2. tit. 51. §. 3. Abſurdiſsimè autem Lucæ locus huc detorquetur: cū uerbū ἐλπίζειν aut ἀπελπίζειν in eum potiſsimè conueniat, qui de fœnore pactus eſt. Quantum ad ſecundum, quis nō uidet iniquiſsimum eſſe, quod debitor, cui gratuitò credita pecunia fuerat, remunerandi officij cauſſa creditori ſuo dederat, creditori quaſi ſine cauſſa, aut potius iniuſta ex cauſſa ſolutum condici? quaſi uerò non hoc quoque caſu naturalis ad antidora obligatio naſcatur, quæ etiam indebiti & per imprudentiam ſoluti repetitionem impedit, aut uerò ei qui ſciens indebitum

bitum ſoluit condictio concedatur: contra l. h & paſſ. D. de cond. indeb. Qanto illud Heſiodi honeſtius eſt, qui iubet αὐτῷ τῷ μέτρῳ· καὶ λώιον &c. Deniq; ut rectè Vlp. ait: Multa honeſtè accipiuntur, quæ tamen non honeſtè petuntur. l. 1. §. 1. D. de extraord. cog. Altera quæſtio eſt: An pro fœneratore habendus ſit, qui cùm debitorem iureiurãdo adegerit, ut ſibi fœnus promitteret, non prius eum ſacramento ſoluit, quam fœnus perceperit: qua quæſtione quid ſtultius fingi poteſt: cùm etiã apud Romanos ueræ religionis expertes maior iuriiurando quam cuius alteri cautioni & chirographo uis atq; auctoritas tribueretur: ut ab exemplo M. Pomponij Tribuni pl Cic. lib. Off. 3. demonſtrat: ubi etiam illud adiungit: Nullum uinculum ad fidem adſtringendam iureiurando maiores arctius eſſe uoluerunt. ut dubitari non poſsit, quin æque, atq; adeo magis fœnerator habendus ſit, is, qui ſibi iureiurando, ut qui chirographo cauit De tertia quæſtione dictum eſt ad C. 5. h. t.

*Ad c. 11.*

*Quàm pernicioſum: Mandamus, quatenus manifeſtos vſurarios (maximè quos vſuris publicè renunciaſſe conſtiterit) cùm aliquis eos conuenerit de vſuris, nullius permittatis appellationis ſubſerfugio ſe tueri.*

Vetat eius qui fœnerationis damnatus eſt, appel-

appellationem admitti: quam ſtultitiam nō uerbis, ſed fuſtibus caſtigandā eſſe, quis non uidet? niſi appellandi uſum omninò è uita tollamus, quem Vlp. non modò utilem, ſed etiam neceſſarium eſſe ait: l. 1. D. de appellat. quinetiam ſtolidius eſt, quod legitur in c. cū ſit Romana, §. ſ. De appellat. idcircò manifeſtum fornicatorem ad appellandum non admitti: quia Paulus I. Cor. 5. Inceſtuoſum etiā abſentem & irrequiſitum excommunicauit, proinde quaſi Paulus iudicium illud ſollenni, ordinario & forenſi ritu pronuntiet: ac nō cauſſa benè cognita & probata id pro Apoſtolatus iure in abſentem, irrequiſitum, tanquam in manifeſtum piratam, aut latronem, aut tyrannum, quo cum iure agere non licet, ſtatuerit.

*Ad c. 12.*

*Poſt miſerabilem: Iudæos ad remittendas Chriſtianis uſuras, per principes & poteſtates compelli præcipimus ſeculares. Et donec eis remiſerint, ab uniuerſis Chriſti fidelibus tam in mercimonijs, quàm in alijs per excommunicationis ſententiam, eis iubemus cōmunionem omnimodam denegari.*

Iubet à Principibus cogi Iudæos uſuras remittere, aut ijs commercio interdici. Primùm ſi Remittendi uerbum pro Reſtituere uſurpauit, ubi uel delicti pœna eſt, uel damnatio in

fructus rei mala fide poſſeſſæ reſtituendos: hoc eſt illius pecuniæ, quam exegerunt uſuras: qua de re ſub c. 5. dictum eſt. Deinde, ut Papa ſeſe Chriſtianorum omnium Principem uniuerſalem ſtatuat: tamen quid iuris, aut poteſtatis, aut imperij in Iudæos habet: ne dicam in Principes ſeculares, quibus hoc loco tanquam Imperator legatis aut præfectis ſuis imperat? Quàm uerò abſimile illud Chriſti qui Cæſari tributum, ut quiuis priuatus ſoluit: aut quàm abſimilis illa uox: Reges & Principes dominantur ſuis ſubiectis: uos autem non ſic. Quæ omnia ita diligenter à doctis theologis tradita ſunt, ut ſolis iam pecudibus ignota ſint.

*Ad c. 13.*

*Tuas dudum recepimus quæſtiones, quòd quidã uſurarij eos, quibus dant pecuniam ad uſuram, præſtare faciunt iuramentum, quòd uſuras non repetant, & ſuper his, quas ſoluerint, nullam moueant quæſtionem. Nos igitur reſpondemus, ut uſurarios ipſos mo. præ. per cenſu. eccl. adpel. remota compellas ante uſurarum ſolutionem ab earum exactione deſiſtere, uel reſtituere ipſas, poſtquam fuerint perſolutæ, ne de dolo & fraude cõtingat eos commodum reportare.*

An fœnerator, propter iuriſiurandi religionem ab uſurarum repetitione prohibeatur.

Papa

Papa non diſertè reſpondet ad rogatū, ſed imperat iudici ut uſuras reſtitui iubeat. At cu ius poſtulatu, niſi eius qui ſoluit & iurauit: ut in c.ſeq. Eodem igitur reuoluitur: Vt Papa cōtra iuriſiurādi religionē repeti uſuras permittat, quamuis is qui eas ſoluit ſe non repetiturum iurarit: quòd non tantū abſurdū uerum etiam impium eſt. nam etſi Iuſiurandum contra leges nullius momenti eſt. l. ſi quis inquilinos, 112. §. ult. D. de leg. 1. etſi debitores iuri publico, quo reſtitui uſuræ iubentur, renūtiare nō poſsint, propterea quod non tā ipſorum cauſſa, quàm in fœneratorū odium inſtitutum eſt: tamē & abſurdū eſt quod ſua ſpōte ſoluerint, cùm perpetua exceptiōe tuti eſſent repetere, l. qui exceptionē, 40. D. de cond. indeb. & iniquū ac ſceleratū, peierādi occaſionē præſertim ob leuis pecuniæ repetitionē præbere: cùm etiā apud ꝓfanas gētes iuriſiurandi maior quā pacti & trāſactionis eſſet autoritas: ut docuimus ſub tit. Dig. de iureiur. adeò ut etiam naturalis obligatio, quæ ſola æquitate conſtat, iureiurando tollatur. l. Stichum, 95. §. naturalis. D. de ſolut. l. ult. D. de iure iur. quid uerbis opus eſt? ponamus enim debitorem pactum feciſſe de nō petendo, id eſt de ſolutis nunquam uſuris repetendis. cui pactum illud improbabitur? at hoc illius iuſiurandum non modò pacti, uerum etiam acceptilationis uim obtinet. l. iuſiurandum,

40.l.ſed etſi,25.l.tutor,35. D.ill. tit. Quare ut ſummo iure propter fœnerationis odium utamur, tamen repetitas uſuras pauperibus potius erogandas, quàm ipſi debitori iurato reddendas exiſtimarem, arg. l.1. & paſſ. D. de his quæ ut indig.

*Ad c. 14.*

*Quia fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legem: Statuimus, ut ſi quis uſurarius à nobis literas impetrauerit ſuper reſtituendis uſuris, vel fructibus computandis in ſortem: niſi prius ipſe reſtituerit uſuras, quas ab alijs noſcitur recepiſſe, auctoritate literarum ipſarum nullatenus audiatur.*

An fœnerator, qui impetrauit ut ſibi uſuras ab ſe ſolutas repetere liceret, priusquam acceptas ipſe uſuras reſtituat, eo beneficio uti poſsit. Papa reſpondet, quod cuiuis ruſtico in re dilucida procliuè fuit, non poſſe: fruſtra enim legem inuocat, qui contra eam committit, ait Triphonin. l. auxilium, 37. in fi. D.de min. & qui legem offendit, legis beneficio indignus eſt: l. filio, 48.§.1. D. de rit.nupt. ſcilicet, ut quod ipſe ius in aliena perſona æquum eſſe credidit, id in ſua quoque perſona ualere patiatur: ut ait l. 1. D. quod quiſque iur. Sed in eo ius Papale perinſulſum eſt, quod furem re furtiua reddita, non modò impunè dimittit, uerumetiam beneficio repeti-

petitionis afficit.nam(ut uulgò dicitur)beneficium conferri in indignum non debet.l.ſeruus,20.D.de manum.teſt.Idē tamen inculcatur in c.Michael,17.j.h.t.

*Ad c.15.*

*Cum in diœceſi tua ſint quamplurimi uſurarij,de quibus minimè dubitatur, quin ſint vſurarij manifeſti, contra quos propter timorem potentum, qui tuentur eoſdem, nullus accuſator apparet, nec iidem ſunt per ſententiā condemnati. Fra.t.t.t.quod licet contra eos nō adpareat accuſator: ſi tamen aliis argumentis illos cōſtiterit eſſe vſurarios manifeſtos,in eos pœnam in Lateran.concilio contra vſurarios editam, liberè poteris exercere.*

An,qui fœnerationis damnatus non eſt,nihilominus pœna fœneratoribus conſtituta plecti poſsit. Papa reſpondit, poſſe:ſi modò quibuſdam argumentis fœnerator manifeſtus eſſe appareat. quo dici impudentius nihil potuit:ut damnatio ſine accuſatore, iudicium ſine cauſſæ cognitione, pœna ſine iudicio conſtituatur. contra l.1.D.de requir. reis & l.1.C.eod.& l.5.D.de pœn. Itaque Auguſtin. Quamuis (inquit) uera ſint, quædam tamen iudici non ſunt credenda, niſi certis indicijs demonſtrentur.11.q.3.c.quamuis.aperteq́; caput hoc damnatur eadem q.3.c.eorum. & in l.ult. C.de probat. ubi ad pœ-

nam imponendam probationes requirun-tur luce clariores.

*Ad c.16.*

*Salubriter: & infra. Sanè generũ ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ, computãdos in ſortem, non credimus compellendum. Cùm frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.*

Vtrum gener fructus fundi ſibi pro dote pignerati lucretur, an eos in ſortem imputare debeat. Papa reſpondet, eum lucrari. Quod & ciuili & canonico iure abſurdum eſt. nam iure ciuili, ſocer genero matrimonij onera ſuſtinenti dotis promiſſæ uſuras ex mora debet. l. pater, 17. D. de dol. excep. l. creditor, 60. §. ſi inter. D. mand. quare aut gener fructus ſuos non faciet, ſed ſoluta dote pignus cum fructibus & quos percepit, & quos percipere potuit, reſtituet, l. 1. l. 2. l. 3. l. ult. C. de pig. act. l. 2. C. de pact. pig. aut eos duntaxat intra legitimum uſurarum modũ retinebit. l. 1. §. pacta. D. de pignor. l. 8. D. in quib. cauſſ. pig. Iure autem canonico iam ſup. dictum eſt, æquè fructuum ut pecuniæ acceſsionem damnari. c. 1. & c. conqueſtus, 8. s̃. h. tit. niſi fortè ſaluando Papam dicendum ſit, caput hoc ſpecialiter ad dotis

cauſſam pertinere: & ut in iure ciuili in bonę fidei contractibus ex mora uſuras licitè peti poſſe: quoniam non quæſtus faciendi, ſed eius quod intereſt compenſandi cauſſa exiguntur. l. cum quidam, 17. §. locato. D. h. tit. Et profectò ita eſt, ut ſynodus Nicena eas ſolas uſuras damnet, quę quæſtus cauſſa exercentur. Atque hæc quidem de fundo non dotali à genero pignoris cauſſa dato. Diſsimilis enim rerum dotalium ratio eſt, quarũ fructus ad maritum propter matrimonij onera pertinerę certũ eſt. l. plerumq;. §. ſi ſerui. D. de iur. dot.

*Ad c. 17.*

*Michael laicus ſuam nobis querimoniam deſtinauit, quòd M. quidam alij Bonon. ciues multa extorſerunt ab eo, & à patre ſuo cuius hæres extitit, nomine vſurarum: & infra. Adtentius prouiſurus, ne auctoritate noſtra in negotio procedas eodem, niſi dictus conquerens reſtituerit, vel adhuc reſtituat, ſi quas aliquando ipſe, vel pater eius extorſit uſuras.*

Huic ſatisfactum eſt ſub c. quia fruſtra, §. hoc tit.

*Ad c. 18.*

*Quãto amplius Chriſtiana religio ab exa-*

*ctione cõpeſcitur vſurarũ, tãto grauius ſuper his Iudæorũ perfidia inſoleſcit, ita quòd breui tẽpore Chriſtianorũ exhauriũt facultates. Volentes igitur in hac parte proſpicere Chriſtianis, ne à Iudæis immaniter adgrauentur, ſynodali decreto ſtatuimus, ut ſi de cætero quocunque prætextu Iudæi à Chriſtianis graues immoderasʼue vſuras extorſerint, Chriſtianorũ eis participium ſubtrahatur, donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter. Vnde Chriſtiani (ſi opus fuerit) per cen. eccl. adp. poſtpoſita, compellantur ab eorum commercijs abſtinere. Principibus aũt iniũgimus, vt propter hæc nõ ſint Chriſtianis infeſti, ſed potius à tãto grauamine ſtudeant cohibere Iudæos. Hac eadẽ pœna Iudæos decernimus cõpellendos, ad ſatisfaciendũ eccleſijs ꝓ decimis et oblationibus debitis, quas à Chriſtianis dę domibus & poſſeſſionibus alijs percipere conſueuerãt, antequã ad Iudæos quocũq; titulo deueniſſent: vt ſic eccleſiæ cõſeruentur indemnes.*

Huic quoq; ſatisfactum eſt ſub c. poſt miſerabilem, 12. ſ. h. t.

*Ad c. 19.*

*Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra*

*ſortem,*

*ſortē, vſurarius eſt cenſendus. Ille quoque, qui dat 10. ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini vel olei menſuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur: non debet ex hoc vſurarius reputari. Ratione huius dubij etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quàm tūc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem, ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

Prima quæſtio eſt huiuſmodi: An, qui pecuniæ ab ſe creditæ periculum ſuſcepit, aliquid præter ſortem paciſci poſsit. Gregorius IX uulgò exiſtimatur hoc loco reſpondiſſe, hunc & fœneratorem & improbum uſurarium habendum eſſe. Quod ſi uerum eſt, ſanè barbari & imperiti legislatoris officio functus eſt, uideturque potius huius reſcripti contextus ita corrigendus: VSVRARIVS NON EST CENSENDVS. hac præſertim de cauſſa, quoniam cōtinuò duos caſus ſubiungit, in quib. ſimiliter improbam fœnerationem eſſe negat, & his uocibus ſimilitudinem declarantibus utitur: ILLE QVOQVE, &c. non debet ex hoc uſurarius reputari. Nam ſi contrarios caſus poſuiſſet, aduerſatiua particula uſus fuiſſet. AT ILLE: uel ILLE VERO: uel alia quadam eiuſdem

modi. Quod ſi Gregorius ita ius ſtatuit, ut uulgati libri teſtantur, næ agreſtem ſe ille, ut dixi, & rudem in æquitate perſpicienda, legislatorem oſtendit. Quid enim æquius eſt, quàm propter periculi receptionem, lucrum ſibi aliquod tanquam eius periculi pretium paciſci: ut appellat in l. periculi, 5. D. de naut. fœn. Aut uerò cui improbabitur ea conuentio, cùm conductor propter ſuſceptum in ſe rei periculum, maiorem mercedem paciſcitur? l. qui mercedem, 40. D. locat. ueluti ſi columnam, aut ſignum aliquod marmoreum, aliamúe rem fragilẽ ſuo periculo aliquò deportandam conduxit, l. ſi merces, 25. §. qui columnã. D. eod. (ubi pro TIGNVM reponendũ eſſe docuimus SIGNVM.) aut ex cõtrario minorẽ mercedẽ. ut in ſpecie l. ſi quis domũ, 9. §. Iulianus. D. eod. Præterea cui improba cõuentio uidetur, ut res eius periculo ſit, qui depoſitũ uel mãdatũ uel commodatũ ſuſcepit, & ea de cauſſa pro rei cuſtodia ſibi mercedem paciſcitur, cũ tamen ſolũ eius à furto periculum recipiat, l. & Ariſtoni, 39. D. mãd. l. 1. §. ſi ueſtimenta, & §. ſeq. & §. quod ſi rem. D. depoſ. non aũt à ui maiore & caſib. fortuitis, ac ne à rapina quidẽ, niſi nominatim id conuenit. l. 1. §. nunc uidendũ & ſeqq. D. cõmod, l. 1. C. eod. Quid? an cuiquã ignotũ eſt, pactũ interdũ pretij partem eſſe? uelut in l. fundi, 79. D. de cõtr. empt. l. ſi ſterilis, 21. §. pen. D. de

act. empt. Cuínam ergo illa conuentio improbabitur, ut uenditor eo pluris ſuam rem uendat, quoniá eius periculũ ad tempus aliquod ſuſcepit: ut in l. fiſtulas, 78. §. ult. D. de contr. empt. l. 1. & paſſ. D. de peric. & cõmod. rei uẽd. Quod uerò uigilans dormiẽs neſcio quid ſomniauit, Gregoriũ hoc capite locutũ nõ de ingẽti, ſed de minimo periculo: id eſt, non de maritima traiectione, ſed de fluuiali nauigatione, & exiguo periculo, quod interdũ proficiſcentibus ad nundinas impendet: riſu potius, quàm contraria diſputatione dignum eſt. primũ, quia quantum ad pedeſtria itinera & terreſtres peregrinationes attinet, ingentia interdũ in ijs quoq; uerſari pericula ſatis conſtat. ac de illius periculi receptione exemplũ exſtat in d. l. 1. C. commod. cũ uidelicet graſſante bello itinera propter hoſtium excurſiones infeſta ſunt. quid uerò etiam ſi per hoſtium fines aut ſyluas latrocinijs infeſtas iter faciendum ſit? Quantum autem ad fluminis nauigationes, quis ignorat ſumma quoque in quibuſdam pericula uerſari? cum imbribus aut niuibus liquefactis exundant, ſub pontibus nauigandum eſt, neque enim numerata tãtum pecunia nautica dici ſolet, uerum etiam merces: ſi conuenerit, ut creditoris periculo nauigent. l. 1. D. de naut. fœn. Sequitur ſecunda quæſtio: An conuentio, ut pro credita pecunia certa frugũ quantitas

titas

titas reddatur, fœneratoria ſit, ſi ſolutionis tempore pretium earũ pluris ſit quàm pecunia mutua, cũ id contractus tempore incertũ eſſet. Gregorius indiſtinctè reſpondet non eſſe fœneratoriã, & cauſſam ſubiungit: quoniam contractus tempore incertum erat, utrum ſolutionis tempore pluris aut minoris fruges futuræ eſſent: ac proinde par eadémq; utriuſq; cõtrahentis conditio erat: & par futuri euentus incertitudo. quæ res ęquitatem ſummam continet: ut in l. pen. C. de ſolut. ac præſertim in hac ſpecie, cùm fruges non pro uſuris ſtipulatæ ſunt, ſed pro ipſa ſorte: ut nõ mutui contractus iſte ſit, ſed innominatus. l. 2. in fi. D. ſi cert. pet. nam ſi pro uſuris ſtipulatæ fuiſſent, legitimus in ijs uſurarum modus ſeruandus eſſet. l. cũ non frumentũ, 16. C. h. t. Sequitur tertia quæſtio: An conuentio, ut emptor pro re ſibi uendita maius pretium, quàm quanti tempore contractus res erat, poſt certum tempus præſtet, fœneratoria ſit. Gregorius reſpondet, diſtinctionẽ adhibendam eſſe, utrũ uenditor eas res eo tempore uenditurus eſſet, an non. nam ſi uenditurus fuerat, improbã conuentionem eſſe, ſin minus, non eſſe. quæ diſtinctio inepta & abſurda eſt. primùm, quoniam emptio & uẽditio rarò poteſt ad iuſtum uerumq; pretiũ reuocari, dũmodo dimidia iuſti prætij nõ excedatur, ut dictum eſt ad c. in ciuitate, ſ. h. t. deinde

de quia pactum de differēda ſolutione, pars pretij eſſe poteſt ut in prima quæſtione docuimus, & cùm emptor re ſibi tradita fruatur, quid æquius eſt, quàm uenditorem id, quod ſuâ intereſt uſu ſuæ pecunię caruiſſe, à moratore exigere? qua de cauſſa uſuræ cōcedi ſolent, l. Iulianus, 13. §. ex empto. D. de act. empt. l. 2. C. de uſur. & in non diſsimili ſpecie Canoniſtæ quoque uſuras permittunt, in c. ſalubriter, ſ. h. t.

FINIS.